





1
6
667


























XXIV
PREGIZ



Q. D. B. V.

GENTIUM ET REGNORUM EUROPAE EX SUEVIS.

CONTINUATIO.

IN ILLUSTRI COLLEGIO.

Præside

DN. JOHANNE ULRICO PREGIZERO, D. Prof. P. in Illustri Collegio, & Dicasterii Aulici, quod hic est, Assessore Gravissimo.

Publicæ Eruditorum & Commilitonum Disquisitioni Exposita.


Ad diem XXVII. Septembr.

ANNO CHRISTI MDCLXXXIV.

a

PHILIPPO HENRICO a GÖLNIZ in Waldenstein.

TUBINGÆ,
Typis JOHANN-HENRICI REISI.



PERILLUSTRI.
DOMINO.
GEORGIO. EH-
RENRICO.
LIB. BARONI. A. CLOSEN.
IN. HAYDENBURG. ETC.

SERENISS. WIRTEMBERGIAE. DUCIS.
CONSILIARIO. CAMERARIO.
SUPREMI. DICASTERII. AULICI. JUDICI.
CHILIARCHAE LOCUM. TENENTI.
CIVITATUM. ET. PRAEFECTURARUM.
BALINGENSIS. EBINGENSIS. DUTLINGENSIS.
ET. ROSENFELDENSIS. SATRAPAE.
MAGNO. JUSTITIAE. PRAESIDI.
PACIS. ARMORUMQUE. DECORI.
PRINCIPUM. AMICO.
GERMANAE. FIDEI. ASYLO.
OPTIMARUM. ARTIUM. PATRONO.
DOMINO. COGNATO.
ET. MAECENATI. SUO.
OBSEQUIOSE. VENERANDO.

UT. ET.

GENEROSISSIMO.

DOMINO.

WOLFGANGO

HENRICO. A. GÖLNIZ.

IN. WALDENSTEIN.

SERENISS. WIRTEMBERGIAE. DUCIS.

IN. SUPERIORI. JUSTITIAE. SENATU.

CONSILIARIO.

FIRMISSIMO. JURIS. ET. AEQUI.

STABILIMENTO.

FAMILIAE. SUAE.

ET. OMNIS. ELEGANTIAE. CIVILIS.

PARENTI.

CONSILII. PUBLICI.

ET. VERAE. NOBILITATIS.

SPLENDORI.

DOMINO. PATRUO.

ET. PATRONO. SUO.

OMNIBUS. OFFICIIS. COLENDO.

DISSERTATIONEM. HANC.

PATRIIS. GENTIBUS. ET. IMPERIIS. SACRAM.

DEVOTI. ANIMI. TESSERAM.

D. D. D.

PERILLUSTRIS. *COGNATI. CLOSENII.*

ET. AGNATI. GENEROSISS. NOMINIS.

CULTOR PERPETUUS

PHILIPPUS. HENRICUS. A. GÖLNIZ.



THESIS I.

Inter vetustissimas *Sueverum* Gentes, de quibus etiam in priori *Disputatione* quædam dicta, Crusius *in Annal. Suev. lib. 2. part. 1. cap. 3.* recenset quoque *Angrivarios*, Westphalos: addens tamen, quod hos alii pro *Saxonibus* habeant: quos inter *Witichindus Monachus Corbeiensis*, qui *lib. 1. Annal.* p. 6. *Angrivarios*, seu, ut ipse vocat, *Angarios*, accenset *Saxonibus*. Facit enim *Saxoniæ* Populos tres, *Orientales*, seu, ut alii Germanicam vocem retinentes appellant, *Ostvalos, Angarios, Westvalos:* sive revera *Saxonibus Angrivarii*, quemadmodum & *AngliSuevi* (unde *AngliSaxones* quibusdam dicuntur: suntque iidem qui *Angliæ* nomen dederunt) se immiscuerint, seu, cum hi sedes *Angrivariorum* occupassent, inde denominationem simul mutuati fuerint, ut *Reineccius* scribit. vid. *Meibomii* notæ *in Wittichindi Annal. Sax. l. c. p. 43.* In *Notitia Imperii Romani* leguntur *Anglevarii*, unde *Hofmannus* in *Lexico Universali, ejusque Continuatione*, cui etiam favere videtur *Münsterus* in *Cosmogr. l. 2. p. 45.* eandem his cum *Anglis* (quorum natales quidem ex *Suevis* in priori *Disputat. th. 18. p. 23.* repetiti) originem adscribit, & nomen *Angliæ*, sive *Anglariæ* primum appellatæ, in *Angrivariæ* vocabulum abiisse, & qui *Engelsben* dicti, hos *Angershen* vocatos, refert, consentiente *Alb. Cranzio*, qui *Angriam* olim *Anglariam*, & pro *Anglis* dici cœpisse *Anglos*, scribit in *Saxonia lib. 1. cap. 21. & l. 2. cap. 24. Cluverius* tamen in *German. Antiqu. lib. 3. cap. 14. p. 51.* correctius hos dici *Angrevarios* putat, qui inter *Amisiam* & *Visurgim* incoluerunt: ubi hodie Comitatus *Schauenburgensis, Lippiensis, Tecklenburgiensis, Ravensbergensis, Diepholti, Episcopatus Osnabrugensis, Principatus Mindensis*, & *Hervordiæ* partes sitæ: quorum etiamnum nomen extat in vico *Engern* IX. millibus passuum in

Angrivarii.

septentriones versus ab oppido *Osenbrugge* dissito: extat idem clariore fama in oppido *Angermund* ad confluentem *Anagri* & *Albis*, ubi genti antiquissima sedes, & deinde ad *Luppiæ* fluminis caput in oppido *Engern* vel *Engerhen*, *Widechindi*, ejusque Majorum Regia, potentis *Saxonum* Dynastiæ, quæ Ducatus titulo insignita cum reliquo *Westvaliæ* Ducatu aliquoties Dominos mutans, tandem cœpit *Archiepiscopo Coloniensi* parere, qui ex die destituti *Henrici Leonis* sibi assumpsit *Angriæ* inscriptionis inter alios Titulum: Ducibus quidem *Saxoniæ Inferioris* in hunc usque diem, Titulum quoque Ducatus *Angriæ* & *Westphaliæ* gerentibus, una cum Insignibus. Est autem *Angria Westphaliæ* pars, ubi nati *Hengistus* & *Horsus*, *Saxonum* & *Anglorum* Duces, & sepultus *Witikindus* Magnus *Saxonum* Rex, qui victus a *Carolo* Magno, factus est Christianus. vid. *Reineri Reineccii* Commentatiuncula de *Angrivariis*, *Angaria* Oppido, & ibidem *Widechindi* Magni Monumento. *Cranzius* in *Saxonia* & Metropoli l. c. *Albinus* in Chronic. *Misniæ* p. 419. Huic *Witikindo* nepotem ex *Wigperto* filio *Walpertum*, Ducem *Angriæ* & Comitem *Ringelheimii* quidam assignant, cujus filius *Theodoricus Ringelheimii* quoque Comes, ex filiis *Immodo*, *Sabaudorum*, *Witikindo*, *Ferrariensium* Ducum, *Theodorico* Marchionum *Brandenburgicorum* veterum, & *Regimberto Oldenburgicorum* Comitum, adeoque *Slesvici* & *Holsatiæ* Ducum, *Daniæque* & *Norvagiæ* Regum modernorum Sator fuerit. vid. Dignifs. Dn. D. *Speneri* Sylloge Genealogico-Historica in Familia *Oldenburgo-Danica* pag. 108. *El. Reusneri* Stemma *Witikindeum*. Inclaruit ergo bellicosissimus ille *Saxonum* Rex *Wedekindus* quoque imperio tituloque *Angrivariorum*: cui etiam bello victo *Carolus* Magnus terram istam generoso clementiæ exemplo reliquit. Et post hunc longi ævi spatio iidem *Angrivariæ*, qui *Saxoniæ* Principes. Donec in *Ascaniis* diversum evenit; quibus, translato in Marchionum *Misniæ* Familiam *Saxoniæ* Ducatu, & Electoratu in *Friderico* Bellicoso anno 1423. a *Sigismundo* Imp. *Angrivaria* in *Bernhardi* (qui filius *Alberti* Ursi *Ascaniæ* Comitis, primus ex hac Familia Dux & Elector *Saxoniæ* fuit) posteritate, ad nostram usque ætatem permansit, juxta cum iis *Westfaliæ* terris, quas *Henrico* Leoni exautora-

Angermünd & *Engern.*

Ducatus *Angriæ* in *Westphalia*: pervenit ad Electorem & Archiepiscopum *Coloniensem*: Titulo & Insignibus communibus quoque Ducibus *Saxoniæ*.

Witikindus Rex *Saxonum* imperat *Angrivariis*.

Post quem iidem *Angrivariæ*, qui *Saxoniæ* Duces.

Aliud in Familia *Ascania*.

to

to ablatas *Bernhardo Ascanio*, *Fridericus* Barbarossa Imp. adjecerat. vid. *Pfannerus* de præcipuis *Germaniæ* Principum Gentibus, cap. 10. *Hoffmannus* in Lexici Universalis Continuatione p. 106. h. v. D. *Spenerus* de Insignib. Sereniss. Domus *Saxonic*, cap. 1. §. 25. & in Histor. Insign. Illustr. l. 3. c. 8. §. 7. Author Notitiæ S. Rom. Imp. Procerum Histor. Herald. Genealog. lib. 2. cap. 4. §. 6. Transiit autem hæc *Angrivariæ* Ducum gloria quoque in hoc *Illustre Collegium*, quod de studiis trium Serenissimorum Principum Fratrum *Francisci Julii*, *Francisci Caroli*, *Rudolfi Maximiliani*, *Ducum Saxoniæ*, *Angriæ*, *& Westphaliæ*, quorum hic in Consultatione de Principatu inter Provincias *Europæ*, dixit contra *Galliam*, ille pro *Germania* Orationem habuit, ineunte hoc Seculo gratulari sibi potuit.

II.

De *Æstyis*, *Æstionibus*, dextro maris *Suevici* littore circa *Revaliam Livoniæ* & in *Porussia* quoque habitantibus, propria lingua usis, & mare scrutantibus, atque succinum, quod glessum vocabant, circa *Electrides* Insulas legentibus, dictum jam est aliquid in priori *Disputatione Th. xxi. pag. 30.* & plura de illis repeti possunt ex *Cluverio l. 3. cap. 44.* & *Hartknochio* in descriptione *Porussiæ* veteris & novæ. Taceamus etiam hic *Arios*, *Tacito* inter *Germaniæ* populos memoratos, ex quibus quosdam ad *Ardennam* Sylvam cum *Marcomannis* sedem posuisse & ab illis *Arnstein*, & *Arnstett* nomen habere *Crusius* l. c. putat. Est autem Comitatus hic ad *Hercyniam* (am Hartz) & in Torneamentis *Magdeburgicis* legitur *Henricus* Comes *Arnsteinius* Anno 934. ultimus autem hujus Familiæ Comes in prælio ad *Frossiacum* creditur cecidisse *Spangenbergero* in dem Adel-Spiegel *p. 1. l. 10. c. 15.* Inde Comitatus ille, incertum quo nomine, delatus est ad Comites *Reinsteinios*, ex quibus *Ulricus* Anno 1387. illum vendidit *Gunthero* & *Bussoni* fratribus Comitibus *Mansfeldiis*; quod authore *Spangenbergero*, l. c. & *Hier. Henninges* Theatr. Germ. *T. 3. f. 2. p. 107.* didicisse se ait Dn. D. *Spener* in *Op. Herald. l. 1. c. 59. §. 2.* *Hofmannus l. c. h. v.* nominis *Ariorum* reliquias in *Ar Danica* Insula vult esse: illosque ob societatem & amicitiam cum *Romanis* ejectos a *Francis* postea oram maritimam *Belgicæ*

Aestyi. Aestiones. Esstui.

Arii.

Arnstein Comitatus. per *Reinsteinios* Comites venit ad *Mansfeldios.*

occupasse: nuncupatos autem vicinis corruptius *Armoricos*, sive *Armorichos*. Silemus *Aviones*, de quibus vid. *Crusius* l. c. qui illos in *Borussiam* ad Portum Maris (am Hafen deß Meers) & in Marchiam ad fluv. *Haveliam* habitantes ponit: *Ortelius* verò loco citato, hac voce, cum *Reudingis* miscet, quos ex *Rhenano* scribit *Althammerus Holsatios*, vel *Pomeranos* esse. Præterimus *Arborichos Crusio* quoque in hac classe nominatos (forsan *Armorichos*) quos *Jacobus Mejerus* Zinlanders vocat, *Becanus Brabantos* docet, & *Eburones* his adjungit: de quibus vid. *Ortelius h. v.* Quid dicamus *Butones*, quos *Marobodurus* sibi subjecit apud *Strabonem* lib. 7. (ubi quidem *Lipsius* mavult legere *Gutones*) *Bugentas*: quos *Crusius l. c.* a *Cassubiis Poloniam* versus usque ad *Regiummontem* ponit. *Burios*, cogn. *Lutos*, ut *Hofmannus* vocat: quos *Crusius l. c.* considentes facit partim ad *Visurgim* & *Thornum Borussiæ*: partim in *Westphalia*: concedentes deinde ad *Mosam* juxta *Leodium*. *Cluverius* verò *l. c. 3. c. 32. p. 126.* terga *Marcomannorum* claudentes facit, *Christophorus Pyramius* censet *Silesios*: *Georgius Brunus* ex *Ranzovii* & *Andr. Velleji* sententia habitare Insulam *Bornholm* in *Suevico* mari putat: *Brietio* erant ubi nunc magna pars *Poloniæ* versus *Calisiam* urbem. De *Buris* v. *Hofmann*. in Continuat. *Lexic. Univers. h. v.* Comitatum autem *Buriæ* in *Westphalia*, cujus *Crusius* l.c. mentionem inter *Burios*, sed alio loco, facit, quod attinet, constat *Elisabetham* filiam *Joannis* de *Buren*, Dn. *Hochstratæ* ex *Eleonora Borselia*, nupsisse *Gerhardo* Domino *de Culenburg*, & ei attulisse *Buram*, *Borseliam*, *Zulam*, *S. Martinsdyck*, *Swyck*, & *Dodendal*. Deinde notum est, hujus *Gerhardi* filiam *Aleidam*, *Buranum* Comitatum in *Batavia*, nec non *Leerdamensem*, nuptiis intulisse in *Egmondanam* Familiam, dum ex hac maritum duxit *Fridericum Iselsteinii Dynastam* primum Comitem *Buranum* a *Maximiliano I.* Imp. creatum, eique in dotem attulit ditionem *Buranam*, & *Sanmartinsdyck*: unde filius *Florentius*, & nepos in historia *Caroli V.* celebris *Maximilianus Egmondanus* Comes *Buræ*, qui 1548. extinctus est, pater *Annæ*, quæ *Buram*, *Iselstein*, & *Leerdam*, *Guilelmo Nassovio* Principi *Arausionensi* attulit. vid. *Henninges* in Genealog. *p. 387*. Dn. D. *Spenerus* in Op. Herald. *l. 1. c. 21. §. 1. l. 2. c. 49. §. 4. l. 3. c. 26.*

Aviones.
Arborichi.
Butones.
Bugenta.
Burii.
Comitatus *Buriæ* in *Westphalia*. ad *Culenburgios*, *Egmondanos*, & *Nassovios Arausionenses* defertur.

c. 26. §. 23. ubi refert, quod vivo adhuc *Wilhelmo Nassovio* Principe *Arausionensi* filius illius ex *Anna Egmondana Philippus Wilhelmus* gesserit titulum *Burani* Comitis. & idem l. c. l. 2. c. 46. §. 4. ubi constat, quod *Robertus* Comes *Teisterbantiæ*, filius *Balduini* Comitis *Cliviæ* inter alias ditiones *Culenburgiam* quoque & *Buranam* continuerit. Quod verò præcipui *Burii Ansibarii* dicti eo concesserint, ubi nunc *Wirtembergensis* Ducatus est, *Crusius* l. c. probare nequit, & ex falsa quâdam opinione **der Entz-Bauren** hoc concludit, de qua in *Disput. priori Th. XXVII. p. 39. 40.*

III.

Chasuarii, Cattuarii. Haßi. Cattenelenboga. Cassella.

Subjicit his *Crusius* l. c. *Chasuarios, Cattuarios* ab Orientali parte *Abnobiorum* montium, supra *Suevos Angilos*; distinguens ab his *Chattos* vel *Cattos*, a quibus *Hassi* & *Cattenelenboga*, *Gottinga* & *Cassellæ* nomina habeant, quique magnam coluerint partem *Franconiæ* circa *Wirceburgum*. *Chasuarios* autem, sive *Chattuarios* conjungi in recensione *Taciti* & *Strabonis*, *Chattis*, *Marsis*, ac *Tubantibus* observat *Cluverius l. c. lib. 3. cap. 15.* unde idem ex situ ac vocabulo partem eos ducit *Chattorum*, deque antiqua illorum sede plura tradit l. c. ubi etiam *Ptolemæi Casuarios*, *Cæsaris* esse *Suevos*, hoc est *Cattos* aliorum, scribit. Constat enim *Cattos*, qui & *Chatti*, & *Chassi*, & *Hassi*, *Julio Cæsari*, & aliis ejusdem ætatis Auctoribus, *Straboni*, *Dioni*, *Suetonio*, & *Floro*, *Suevos* dici, quod quidem falso nomine fieri, & *Suevos Cæsaris* esse eosdem populos, quos posteriores Scriptores adpellavere *Cattos*, *Cluverius* l. c. *lib. 3. cap. 5.* variis argumentis ostendere satagit, cum quo serram disputationis nunc haud reciprocabimus. An autem *Catti* tam amplos incoluerint agros, ut latiores in tota *Germania* unius Nationis, etiam *Suevicæ* (quæ *Julio Cæsari* longè maxima & bellicosissima *Germanorum* omnium dicitur *lib. IV. Commentar. Bell. Gall.*) fines haud sæpè demonstraveris, uti *Cluverius* l. c. asserit, adhuc dubitare licet. *Willichio* quidem *Catti* sunt, qui Marchiam *Badensem*, & loca vicina habitant, quos & *Caritnos Ptolemæi* putat, de quibus, quod *Wirtembergenses* olim fuerint, dictum est in priori *Disputatione. Th. XXVII. pag. 38.* *Cattos* autem *Saxones* esse, non *Cranzius* solum,

 sed

ſed & *Ortelius* vult in *Theſauro Geographico*, utraque voce repetens ibidem *Cattorum* in Inſulam *Batavorum* transgreſſum ex *Tacito*, ubi hodie horum nominis veſtigia ſuperſunt in duobus vicis cognominatis, ad mare & ad Rhenum, *Cattwyck*. Accedit autem etiam *Willichii* ſententiæ, *Wilhelmus* Schäffer cognomento Dilich in *Chronic. Haſſiac. pag. 11.* ubi de veterum *Cattorum* ſede hæc tradit: Die Catten haben gewohnet mitten in Germania am Hartzwald/ und darnach / als die Teucteri faſt auffgeriben und vertilget worden / auch die Helvetii jhre Wohnung beſſer hinein in Galliam verruckt/ ihre Gräntzen auch biß an den Rhein/ und forters biß in das Wirtenberger-Land / und gen Torlach erweitert. Gegen Mitternacht haben mit jhnen gegräntzet die Cauci und Cheruſci, gegen Morgen die Hermunduri und Nariſci, gegen Mittag die Felder/ ſo man Decumates agros genennet/ die Carithni und ein Antheil Uſipiorum, und gegen Abend die Teuchteri. Und haben demnach die Catten innen gehabt und eigenthumlich beſeſſen/ ein Antheil deß Landes Weſtphalen/ der Graffſchafft Bergen / das gantze Thüringen/ und Heſſen/ und das mehrer Theil von Francken / wie auch deß Wirtemberger-Landes/ wie ſolches alles aus Tacito, Ptolemæo, Plinio, und Strabone erſcheinet. Das aber C. Cæſar der Catten nicht gedenckt/ iſt die Urſach/ daß ſie zu ſeiner Zeit nicht biß an den Rhein gegräntzet/ ſondern beſſer hereinwarts gewohnet/und das auch zu ermeldten Cæſaris Lebzeiten die Suevi vor allen andern Teutſchen Völckern floriret/und alſo unter jhrem Nahmen zugleich die andere umbligende Teutſche/ ſo wol auch die/ welche jhnen wider die Römer zu Hülff gezogen / begriffen worden. Letzlich als von den Römern die Catten bewältiget/ und faſt gar auffgeriben/ und ſich hierab die Sachſen ihrer angenommen/ haben ſie durch derſelben Beyſtand/ den Antheil Landes/ welchen ſie noch heute bewohnen / erhalten ꝛc. quo loco etiam *Dilichius* probat, *Cattos* ſedes ſuas in Sylva *Hercynia* habuiſſe. Subjicit deinceps idem l.c. de Decumatibus agris, deque *Carithnis*, & *Suevis*, ſequentia verba; *Decumates agri* haben im Anfang deß Hercyniæ bey Brißgow und dem äuſſerſten Theil deß Wirtemberger-Landes gelegen. Carithni aber haben im Wirtenberger-

Land

Lande gesessen/ nicht fern von dem Helvetischen und Schweitzerischen Gebirge und Wüsten / wie solches Ptolemæus anzeiget: Item: Suevi waren das mächtigste und grösseste Volck unter denen samptlichen Teutschen/ so auch ihre Wohnung nicht beyeinander gehabt/ sondern hin und wider in Germanien zerstreuet gewesen/ darob sie auch ihre besondere Zunahmen bekommen/ als Suevi Angli bey denen Cimbern oder Holsteinern/ werden von Ptolemæo genennt Angilli und Suevi Angillorum, Suevi Semnones, die in der Marck Brandenburg und Laußnitz gehauset / und sind gewesen die Edelste und ältiste Schwaben/ Suevi Longobardi, so an denen Chaucis und Cattis gewohnet/ etwa im Stifft Münster/ und von Narsete nachmahlen in Italien abgefordert / und daselbsten ein mächtig Königreich angerichtet haben: Suevi Reudigni oder auch Vendigni nach deß Rhenani Correction, Aviniones, Varini, Eudoses, Suardones und Nuithones, welche samptlich der alten Teutonum, als sie neben denen Cimbris an Italien verruckt/ Sitze in Meckelburg/ und Pommern eingenommen/ aber doch hiernacher daselbsten entweder abgezogen / oder von denen Slavis ausgereüttert worden. Dann die Vendigni sind in Rhætiam verrucket/ und haben daselbsten die Statt Vendignum erbauet: Die Aviniones sind in Finland kommen: die Nuithones aber sind beneben denen Vandalern und Burgundionibus auffgebrochen/ und haben Nuithlandiam oder Uchtland eingenommen. So waren auch die Hermunduri Schwaben/ welche nachmahlen beneben etlichen aus den Semnonibus zun Vendignis in Rhætiam kommen/ und daselbsten das jetzige Hertzogthum Schwaben angerichtet. Cæterùm *Catti* a *Druso* domiti, sunt quoque *Baudrando* & *Hofmanno Hassi*, quorum Regio hodie *Hassia* cum parte Landgraviatus *Thuringiæ*, & Ducatus *Brunsvicensis* prope *Visurgim* fluv. & *Cheruscos*: illi autem transgressi in *Batavorum* Insulam locum & nomen ibi fecerunt duobus *Cattorum* vicis, vulgo *Catwick*, ad mare *Germanicum* & *Rhenum*, apud *Lugdunum* Urbem, ubi olim *Rhenus* in *Oceanum* effundebatur: nunc ostium hoc arenis obstructum est. *Catti Melibocci* quoque tractus qui *Catzenelenbogen* dicitur *B. Rhenano*, Comitatus *Wetteraviæ*, in *Hassia*, cum oppido hujus nominis. vid. *Dilichius*

Comitatus *Cattimelibocensis.*

lichius in Chronic. *Hass. p. 29. & seqq. Textor* in Chronic. *Nassov. p. 109. 110. Sleidan. l. 21. & 24. Thuan. l. 19.* Dn. D. *Spener.* in Op. Herald. *l. 3. c. 23. §. 4. 5. & c. 26. §. 13.* ubi plura de Comitatu *Cattimelibocensi* ejusque Familia, Successione, Controversia quæ Domui *Hassiacæ* intercessit cum Ducibus *Clivensibus*, & Comitibus *Nassovicis*, illiusque decisione traduntur. *Author Notitiæ S. Rom. Imp. Procerum l. 4. c. 7. §. 3.* ubi quo jure Landgravii *Hassiæ Cattimelibocensem* Comitatum sibi vindicaverint, quoque traditur. *Chasuarii* autem, *Casuarii* Ptolemæi, *Chatuarii* Strabonis, pars *Istævonum*, *Althamero Thuringi* crediti, *Cluverio*, aliisque inter *Amasium* & *Visurgim* fluv. ubi nunc Diœcesis *Monasteriensis* & *Osnabrugensis* ex parte, positi, erant, *Baudrando* & *Hofmanno* scribentibus, clientes *Cheruscorum*, inque eorum confiniis, longe a *Thuringis*. vid. idem *Hofmannus* in Lexico Universali, ejusque Continuatione sub his vocibus. *Pfannerus*, de præcipuis *Germaniæ* Principum Gentibus. l. 8.

ejusque Successio.

IV.

Cherusci.

Cheruscos quod attinet, gentem magnam, & *Arminio* Duce maxime inclytam, separare illos *Tacitum* suo ævo a *Suevis* monet *Crusius l. cit.* ubi illos consedisse scribit in Comitatu *Stolbergensi*, *Schwartzenburgensi*, *Mansfeldensi*, & parte *Anhaltinorum* Principum. *Cluverius lib. 3. Germ. Ant. cap. 19. p. 79.* contineri hodie scribit *Cheruscorum* finibus totum Episcopatum (nunc Ducatum) *Ferdensem*, *Lunæburgensem*, ac *Brunsvicensem* Ducatum: Episcopatum *Hildesheimensem*, & *Halberstadiensem* (qui nunc quoque ex Constitutione Pacis *Westphalicæ* est Principatus secularis) Comitatum *Schauenbergiensem*, *Magdeburgiensis* Episcopatus (qui nunc quoque Ducatus) partem cis *Albim*, Marchiam Antiquam, *Dannenbergensem* Comitatum, *Laviburgiensisque* Ducatus portiones cis *Albim*. *Hadrianus Junius* in *Batavia* sua per *Cheruscos* intelligit *Lunæburgenses*; *Ortelius* mavult *Mansfeldios*. vid. *Althammerus* in *Tacitum*. Unde autem *Crusius l. c* probare possit partem *Kreichgoiæ* a *Cheruscis* quoque cultam nobis nondum constat: Sane *Chytræus*, in Oratione, quæ continet descriptionem Regionis *Greichgoiæ*, & veteres incolas hujus, nihil illorum meminuit. *Cherusci*, inquit *Dilichius* in Chron. *Hass. p.*

Illorum Sedes.

13.

13. Die Hartzländer sind Inwohner gewesen der Marck von Soltwedel/ biß an die Lüneburger Heide/ und dero Lande/ welche nunmehr genennt werden das Stifft Halberstatt/ Magdeburg/ und der jetzige Hartz. vid. de illis quoque *Baudrandus*, & *Hofmannus in Lexic. Univers. h. v.*

V.

Camorni. Camavi.

Quos autem *Crusius Camornos* vel *Camavos*, circa *Chemnicium* habitantes, & fortasse *Chamburgo* nomen dantes, *Spangenbergero Chamannos* dictos, facit, hos *Ortelius* putat *Chamavos Taciti* & *Marcellini*, *Camanos Ptolemæi*, *Camaves Ausonii*: quos sunt qui *Camino* Pomeraniæ oppido nomen reliquisse suspicantur, teste *Althammero*: Illorumque reliquum oppidum *Chamen* in Comitatu *Marchiæ* esse putat *David Chytræus*: Alii, quos inter *Schonhofius*, & ipse *H. Junius*, *Campen* in *TransIsalana* illorum reliquias esse scribunt, quos juxta etiam *Chamavi* circa *Rheni* ostia ponuntur. Horum antiquissima memoria reperitur apud *Tacitum lib. 13. Annal.* & plura de illis tradit *Cluver. l. c. lib. 3. cap. 14.* *Chamavos* autem a *Suevis* distinguit *Ptolemæus* his verbis: Ἐλάσσονα δὲ ἔθνη καὶ μεταξὺ κεῖνται Καυχῶν μὲν τῶν μικρῶν καὶ τῶν Σουήβων Βρέκτεροι οἱ μείζονες. ὑφ᾽ οὓς Χαῖμαι. Καυχῶν δὲ τῶν μειζόνων, καὶ τῶν Σουήβων Ἀγγειλάριοι, id est: *Minores verò gentes interjacent inter Chauchos minores & Suevos, Bructeri majores, sub quibus Chamavi. inter Cauchos autem majores & Suevos, Angrivarii.* pro Χαῖμαι ibi legit *Cluverius* Χαμάυοι, & in *Strabone* pro Χαῦβοι, Χάμαβοι legendum esse monet. vid. de his *Hofmannus* quoque in Lexico Univers. *h. v.* ubi *Chamavos* inter *Cheruscos* & *Bructeros* ponit prope *Visurgim* fluv. ubi nunc pars Episcopatus *Monasteriensis* & *Paderbornensis*, ex sententia quoque *Cluverii*, *Brietii*, *Baudrandi*, & aliorum.

VI.

Cauci. Chauci. Cauchi.

Præterea *Cauci* vel *Chauci*, vel *Cauchi* in veteri Marchia & Ducatu *Lunæburgensi*, *Spangenbergero*, & *Crusio l. c.* ad *Albim* ubi scil. *Cauci* majores: minores autem ad *Visurgin* fluv. sunt, ubi Episcopatus, hodie Ducatus, & Urbs, *Bremensis*, Ducatus nunc *Verdensis*, & Principatus *Mindensis*. *Jodocus Willichius* minores *Chaucos* facit *Frisios*, *Groningenses*: *Ortelius* vocat Ost-Friesen

inter *Amasium* & *Visurgim* fluvios: majores autem comprehendere dicit *Bremenses*, *Lunæburgenses* ad *Hamburgum* usque. *Plinius Caucos* inter *Helium* & *Flevum* sternit, quos *H. Junius* in sua Batavia Goeylanderß facit. *Cauchos* falso a *Cauconibus* derivari notat *Cluver. l. c. lib. 1. cap. 3. p. 57.* Hi ultra *Amisiam* amnem in Septentriones versus recedente *Germania* a *Tacito* collocantur, & inter *Germaniæ* populos memorantur quoque *Plinio*, *Ptolemæo*, *Paterculo*, *Suetonio*, *Lampridio*, *Straboni*, *Dioni*, *Claudiano*, cui *Chayci* dicuntur, notante *Hottomanno* in sua *Franco Gallia*. De *Cauchis* majoribus & minoribus, illorumque insulis, atque littore plura vid. apud *Plinium lib. 16. Histor. Natural. cap. 1.* & de virtute *Cauchorum* egregium fertur elogium a *Tacito*, de morib. *Germanor.* Plura de his legi possunt, apud *Cluverium l. c. lib. 3. cap. 18.* ubi *Cauchorum* finibus has Regiones comprehendi scribit: Episcopatum *Bremensem*, *Frisiam Orientalem*, Comitatus quatuor, *Oldenburgiensem*, *Delmenhorstensem*, *Diepholtensem*, & *Hoiensem* cis *Visurgim*: item *Mindensis* Episcopatus partem Septentrionalem. Consentit his quoque *Hufmannus* in Lexico Univers. v. *Cayci*, & *Chauci*, ubi *Chaucorum* majorum Metropolim *Bremam* esse vult urbem in *Saxonia*, *Dilichius* in Chron. *Hass. p. 13.* scribit: *Chauci* haben gesessen zwischen der Elbe/ Weser/ Embs/ dem Meer / und denen *Catten*: da nunmehr die Sachsen / Westphelinge / Lüneburger / und Braunschweiger wohnen.

VII.

Calucones.

Calucones *Crusius* l. c. facit habitatores lacuum ad *Albim*, ubi nunc Electoratus *Saxoniæ*, & ab his *Luccam*, & *Kalbam*, vel *Calegiam* nomen consecutas putat, incertum qua ratione, aut fundamento. *Stumpfius* in Chronico *Helvetiæ* lib. 2. cap. 4. pag. 22. b. *Calucones* ponit in *Misniam*, bey Zerbst jenseit der Elb. Sane *Ortelius Calucones Rhætiæ* populos esse scribit apud *Ptolemæum*. Algœw fortasse inquit *Aegidius Thschudus*, sed ipse *Culucones* legit. *Collucones* habere tria sua exemplaria testatur *Ortelius* in Thesauro Geograph. h. v. ubi refert Leutkirchen ex eo facere *Lazium*, qui locus abest a *Campiduno* tribus milliaribus, *Memmingam* versus.

Colduli.

Colduli quoque *Germaniæ* populi referuntur *Straboni*:

boni: apud quem Κόλδοι legi *Casaubonus* annotavit. Circa *Holetal* (locum sic dictum) illos habitasse putat *Lazius*. *Crusius* in *Sylva Hercynia* habitantes facit: *Ortelius* pro *Bohemis* habet. Eadem de his tradit *Hofmannus* l. c. h. v.

VIII.

Elysii. An Lusati. & Silesii.

Memorantur quoque *Crusio* l. c. *Tacito* nominati *Elysii*, *Mutio Helisii*; *Bartolino Lysii*, ad amnem *Elistrum*, & in *Lausnicia*, ac parte *Silesiæ*. *Lusatos* illos quoque credit *Petrus Nivemontius*. At in *Alsen* Insula *Danica* sic dicta hos esse credit *Andr. Vellejus*. *Eliso* & *Aliso* Castellum olim, nunc *Elsen*, quod fuerit, vid. apud *Cluverium* in *Germ. Ant. lib. 3. cap. 9. p. 33.* Consentiunt viri docti in *Elysios*, & faciunt *Silesios*. Sed hoc vocabulum recenter fictum, nec satis ad primogeniam illius gentis appellationem exprimendam idoneum, scribit *Hofmannus* in Lexic. Univers. voc. *Elysii*. *Baudrando Elysii* sunt, qui & *Lugii Elysii*, populus *Germaniæ* versus *Sarmaticos* montes: ubi nunc pars Austr. parvæ *Poloniæ*, versus *Vistulæ* fontes. Eorum caput erat *Carrodunum*, nunc *Cracovia Poloniæ* urbs primaria: longe a *Lusatia* in ortum portenti, quam aliqui *Elysiorum* regionem crediderunt. *Elysios* autem sub nomine *Suevorum* quondam comprehensos, imo sub *Lygiis Tacito* narratos, aliis *Ilingos* quoque dictos, & ab illis *Silesios* derivatos, haud negat *Schickfusius* in Chronic. *Siles.* l. 1. c. 1. 2. 3. ubi plura de *Elysiorum* sedibus in *Lusatia* & *Silesia*, & illorum origine, nescio tamen an adeo certo ex *Asia* repetenda, tradit. Sanè *Albinus* in Chronic. *Misn.* tit. IV. p. 47. *Elysios* in *Lusatia* ab *Elistro* fluv. qui nunc dicitur **die Schwartz Elster** appellari putat. *Eudones* vel *Eudosios*, *Tacito* inter *Suevos* Aquilonares memoratos, quasi **Endsassen** putat *Crusius* l. c. *Libanothanes*, seu *Misnenses* esse, habens consentientem *Althammerum*. *Libonothiam Joannis Gersonis* esse putat *Ortelius*. v. *Albin.* Chron. *Misn.* tit. IV. p. 47. & 53. *Cluverius* l. c. lib. 3. cap. 27. *Eudoses* collocat in littore maris *Balthici*, & *Pomeranorum* finibus, ubi hæc oppida incoluntur: *Baart*, *Stralesond*, *Gripeswalde*, *Wolgast*, *Gutsckow*, *Anklam*, *Traptow*, *Damyn*: addit idem ex ipso mari insulam *Usedom*: ad quam ostium est *Sue-*

Eudones.

vi nunc *Swine* dictum. Certe reliquum terrarum spatium, quantum ab *Longobardis Albim Chalusumque* inter & *Suevum* ad mare usque *Suevicum* protenditur, credibile est tenuisse septem nationes illas, quæ *Tacito* dicuntur *Reudingi*, *Aviones*, *Angli*, *Varini*, *Eudoses*, *Suardones*, & *Nuithones*, fluminibus aut sylvis muniti: in singulis autem nil quicquam notabile scribit idem *Tacitus*, nisi quod in commune *Hertham*, id est Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Sed de his jam aliquid dictum est in priori *Disputatione* Thes. XVII. Hoc tantum data occasione hoc loco repetimus, primitus in littore maris *Balthici* fuisse *Suevos*, qui nunc *Pomerani* nominantur, & pars *Prussiæ*. Deinde *Julii Cæsaris* tempore *Suevi* ex *Pomerania* in *Westphaliam* transiverunt: postea eis ab *Augusto* sedes datæ fuerunt in *Rhætia*, ubi nunc reliquum nomen est *Sueviæ*. Ex *Rhætia* deinde ad *Nicrum* eadem Gens processit, ubi etiamnum *Suevi* appellantur, qui huc per Colonias ex Oriente, & Septentrione translati. vid. Chronicon *Carionis* lib. 2. pag. 175. & lib. 3. pag. 8. Quod autem *Hertha*, id est Terra mater pro Dea quondam non tantum a priscis *Germaniæ* populis, & *Suevis*, sed & *Romanis* in his terrarum partibus culta fuerit, hoc testantur Monumenta Antiquitatis, quæ superiori Seculo in hoc Ducatu *Wirtenbergico* reperta sunt. Inter quæ est Lapis quidam quadratus, quatuor Imaginibus sculptus, in oppido *Hercyniæ* Sylvæ **Wildberg** inventus, sed hodie erectus *Stutgardiæ* in Turri Augustalis *Ludoviciani* superiori ad dextram: ubi juxta *Dianam* primam sub Canis simulachro, cum sagittis binis in manibus, & *Dianam* secundam sub imagine felis, cernitur *Vesta* Globo Terræ insistens, & alata. Constat autem, etiam ex alibi dictis, quod *Cybele* uxor *Saturni* habita fuerit pro Deorum matre, quam *Suidas* scribit *Rheam* quoque vocari, & Montanam etiam, ut *Dianam*, esse Deam: quæ primum etiam *Ope* & Terra dicta fuit, quod sit Dea Telluris, quæ & *Vesta* dicitur: propter quod curru vehi a Poëtis fingitur, quia Terra pendet in Aëre, & rotis sustineri, quia rotatur semper & volvitur mundus. Quod *Ovidius* eleganter his versibus exprimit:

Quædā amplius de Dea *Hertha*, *Germanis*, *Suevis* & *Romanis* culta.

Lapis Antiquus *Wildbergensis* in Ducatu *Wirtembergico*.

Imago *Vestæ*, quæ & Terra, ac *Cybele*, in Antiquitatis *Romanæ* Monumentis Agri *Wirtembergici*.

Terra Pilæ similis, cui insistit hæc Imago.

Vesta

Vesta eadem est & Terra: subest vigil ignis utrique
Significant sedem Terra focusque suam.
Terra Pilæ similis nullo discrimine nixa:
Aëre subjecto tam grave pendet onus.
Ipsa volabilitas subjectum sustinet orbem,
Quique premat partes angulus omnis abest.
Cumque sit in media rerum Regione locata,
Et tangat nullum plusve minusve locum,
Ni convexa foret, parti vicinior esset,
Nec medium terræ mundus haberet onus.
Arte Syracusia suspensus in Aëre clauso
Stat globus, immensi parva figura poli:
Et quantum a summis, tantum successit ab imis
Terra, quod ut fiat, forma rotunda facit.

Alæ in *Vesta*, seu, in Terra.

Unde cognoscitur, quod sub hujus Puellæ pedibus Globus Terram ipsam rotundam notet. Cum autem terra pendere in aëre dicatur, alata pingitur, quasi alis, instar avis in aëria regione suspensa, suis sustentetur, ut canit *Ovidius* lib. 1. Metamorph.

Nec circumfuso pendebat in aere tellus
Ponderibus librata suis.

Vel quod *Vesta* etiam Ignis sit, cui præest *Vulcanus*, quem a volando quidam denominatum esse tradunt, eo quod ignis per aerem volitet, De quo *Ovidius* lib. 6. Fastorum:

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam:
Nataque de flamma corpora nulla videt.

Et rursus:

Esse diu stultus Vestæ simulachra putavi
Mox didici curvo nulla subesse dolo.
Ignis inextinctus templo cœletur in illo:
Effigiem nullam Vesta nec ignis habet.

Vesta, unde dicatur.

Quarta Imago dicti modo lapidis iterum Terram & *Vestam* repræsentat, sed alio modo, nimirum, innixam vastæ columnæ. Cujus rationem *Ovidius* quoque explicat hoc versu.

Stat vi terra sua: Vi stando Vesta vocatur:
Causaque pars Graji nominis esse potest.

Festum *Cybele.*

Cur autem alibi, & in isto monumento, *Diana* cum *Vesta* jungatur, causa est, quia *Diana* perpetua Virginitate commendatur: quemadmodum etiam *Vesta*: de qua iterum canit *Ovidius* lib. 6. Fastorum:

Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit:
Nec capit: & comites virginitatis amat.

Pertinent huc etiam reliqui versus *Ovidii*: l. 1. de *Cybele* & *Vesta*:

Turrigera frontem Cybele redimita corona
Convocat æternos ad sua festa Deos.
Convocat & Satyros, & rustica Numina Nymphas,
Silenus quamvis nemo vocarat, adest.
Nec licet, & longum est epulas narrare Deorum,
In multo nox est pervigilata mero.
Dii temere errabant in opacæ vallibus Idæ:
Pars jacet, & molli gramine membra levant,
Hi ludunt, hos somnus habet, pars brachia nectunt,
Pars viridem celeri ter pede pulsat humum.
Vesta jacet, placidamque capit secura quietem,
Sic ut erat positum cespite fulta caput.

Paulus Morsus per has *Nymphas* sumit Deas Præsides ruris, agrorum, fontium, & nemorum: Unde facile intelligitur, cur hæ quatuor Imagines copulentur, cum eadem numina *Vesta* in suis celebritatibus habeat quam ipsa *Diana*. Ex hujus autem Lapidis Venatoriis Imaginibus (ut hoc etiam addamus) rationem nominis Wildberg/ ubi hic repertus est, erui, quod sit quasi *Ferarum mons*, conjicit *M. Simon Studion* in Manuscripto alibi jam citato opere, De vera origine Serenissimæ & Antiquissimæ Domus *Wirtembergicæ*, cum venerandæ Antiquitatis *Romanis* in agro *Wirtembergico* conquisitis & explicatis monumentis pag. 48. Alter lapis qui huc pertinet, inventus est in Monasterio *Mulbronnæ*, atque ex muro ibidem non procul a Templo avulsus, hodie conspiciendus quoque *Stutgardiæ* in dictæ Basilicæ Turri superiori ad sinistram. Cui quatuor insculptæ sunt Icones. Prima effigies istius lapidis quadrati, est ipsius Deæ quam Terram vocant, & quam ab ipsis *Germanis* cultam fuisse, ex loco *Taciti* paulo ante citato constat, in quo quidem *Simon Studion* l. c. pag. 51. pro

Lapis *Mulbronnensis* Prima illius Imago *Terræ* & *Opis*,

Her-

Hertham legit *Nerthum*, monens *Beatum Rhenanum* ibidem legendum putare *Herthum*, eo quod hodie *Germani* Terram *Herdt*, quidam absque spiritu Erdt/ & Erdtreich appellant, & facilem fuisse errorem librarii inter H. & N. *Studion* autem loco citato utramque lectionem veram agnoscit. Cum enim, inquit, Terra ut *Plato* in *Timæo* tradit, sit nostra altrix, Deorum antiquissima ab alendo & fovendo, commode nomen est sortita: fovere enim & alere *Germanis* sonat Nehren: fotus & alitus idem quod & *Nerth*: unde recte *Plinius* lib. 2. cap. 63. hæc de ea infert: *Terra est, cui uni rerum Naturæ partium eximia propter merita cognomen indimus maternæ venerationis: sic hominum illa, ut cœlum Dei: quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: novissime complexa gremio, jam a reliqua Natura abdicatos, tum maxime ut mater operit.* Deinde focus significans *Germanis* ein Herdt/ vel *Herth*, a fovendo, secundum *Nasonem* sic dictus lib. 6. Fastorum:

At focus a flammis, & quod fovet omnia dictus,
Qui tamen in primis ædibus ante fuit.

Et de hujus Deæ nomine proxime urbem *Martbachum* pagum esse *Herthumhausen*: & castrum *Hertneck*, nec procul ab hoc vicum frugum proventu, & agrorum spatio insignem Kornwestern/ a Dea *Vesta*, & adorea Korn/ vocabulum trahentem, & a *Cerere* frugum præside, frumentum, Korn/ grana, Kern/ dici, *Studion* quoque l. c. conjicit, ubi addit: cum Terra sit de qua ipse Deus loquens: *Ecce (ait) dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & universis quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum.* Genes. cap. 1. propterea Deam hanc Terræ apte in sinistra habere cistam penuariam, & promptuarium adapertum (ut conspicitur in isto lapide) tamquam in eo recondita sint omnia, quæ humanæ vitæ usus, & animantium reliquorum necessitas requirit. In dextra gerit Imago ista Globum Terræ: quæ pilæ similis. Columna autem (manca & attrita) stabilitatem terræ, quæ stat vi sua, arguit. Ipsa terra, vel *Vesta*, tegitur palla sacerdotali, quæ *Vesta-*

Terra *Germanis* Nerthum.
Herthum & *Nerthum* significatione idem, & unde hæc vox.
Quid Terra sit secundum *Platonem*.

Herthumhausen.
Hertneck.

Promptuarium in manu Deæ Telluris.

Globus Terræ molem rotundam refert.

Vestalibus Romanis usitata, hoc in loco notat tegmentum Terræ, hoc est omnium ex Terra nascentium fœtuum germina, in ipsa superficie Terrarum prominentia, Telluremque quasi vestientia. Secunda Imago istius lapidis *Palladem*, tam Belli quam artium, & sapientiæ, agricolarumque & ruris Deam, cum Galea, Hasta & Scuto, qualis etiam in Insignibus & Sigillo *Illustris Collegii* hujus cernitur, continet. Agricolarum enim operis Terra culta fœneratur suis donis: & Bellorum Patrocinio parta conservantur: ut artibus & prudentia eadem parantur & usurpantur. Tertia Imago in isto lapide cernitur ipsius *Cybeles*, de qua paulo ante dictum, quod cum Terra & *Vesta* sit eadem. Hanc autem tertiam Imaginem *Cybeles* esse, monere ait *Simon Studion* l. c. pag. 52. Leonem & cymbalum, crotalumve in sinistra. *Corybantes* enim *Cybeles* Sacerdotes, qui sacro furore correpti erant, Cymbala pulsasse constat, capitaque saltando jactantes, alios in similem rabiem egisse. Hinc, dicente *Strabone* lib. 10. qui capita saltando jactant, & aspiratione Numinis, furiisque agitantur, *Corybantes* appellamus: qui *Jovem* infantem finguntur aluisse, tympana jugiter pulsantes, ac Cymbalis sonantes, ne puerum vagientem *Saturnus* audiret. Leo autem sacer erat ipsi *Cybele:* Leones enim hujus Deæ, quæ & *Mater Deûm* vocatur, currum trahebant; quia omnis (ut placet *Servio)* feritas maternæ affectioni subjacet: vel, ut *Macrobio* placet, quia hæc Dea Terra est, quæ ab aëre vehitur, quem continet cœli ambitus, cujus natura similis est Leonum validorum animalium impetu ac fervori. De quo *Virgilius* lib. 3. *Æneid.*

Hinc Mater cultrix Cybele Corybantiaque æra
Idæumque nemus: hinc fida silentia sacris:
Et juncti currum Dominæ subire Leones.

Ovidius libr. Metamorphos.

Dente premunt domito Cybeleia frena Leones.

Idem lib. 4. Fastorum.

Aera Deæ comites, raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis pro scutis tympana pulsant,
Tybia dat Phrygios (ut dedit ante) modos.

De-

Secunda Imago *Palladis.*

Tertia Imago *Cybeles.*

Leo *Cybeles.* Cur eidem sacer.

Desierat: cœpi, cur huic genus acre Leonum
Præbeat insolitas ad juga curva jubas.

Catullus: *ubi juncta juga resolvens Cybele Leonibus.*

Hæc *Cybele* in citato modo lapide alteri saltem insistit pedi dextro, ut significetur firmitas terræ, vel *Vestæ*, quæ stat sua non aliena vi: Ideoque ea omnium Elementorum firmissimum, ut Leo inter quadrupedes animantes fortissimus. Ignis enim, aer & aqua mobilia semper agitantur. Quarta Imago in isto Lapide cernitur *Herculis*, quem etiam *Germani* coluerunt ut Bellorum Præsidem, & cujus æreum signum, seu idolum, in vetusto *Suevorum* Cœnobio *Augia* majori (**in der Reichenaw**) Insula *Rhenana* servatum fuit quondam juxta *Constantiam* urbem: quod *Johannes Stabius* Historiographus jussu *Maximiliani I.* Cæsaris transtulit ad *Oenipontem*. *Hertum* autem Deam nomen quoque dare potuisse *Herthanis Misniæ* populis (quos alii **die Harten**/ id est duros, robustos, fortes, alii **von Hart**/ sive **Hartz** appellant) *Albinus* conjicit in Chronico *Misniæ* Tit. IV. pag. 45. 46. Si quidem istorum nomen apud antiquos Autores occurrat, & non fictum sit ab *Garzone* in rebus *Saxonicis*, & *Erasmo Stella* in Commentariolo, **von den Völckern und Geschichten deß Landes zwischen der Elb/ und Sala.** Plura de *Cybele*, & Terra Dea vid. apud *Lil. Gregor. Gyraldum* de Deis Gentium Syntagm. IV. pag. 134. & seqq. et de Dea *Herthum* vid. quoque *Kriegsmann.* in Conjectan. de Gentis *German.* Origine, cap. 30. novissime *Tubingæ* editis.

Leo ob firmitatem cōstantem Terræ dicatus.

Quarta Imago *Herculis.*

IX.

Inter hac Gentes referuntur quoque *Harudes*, a quibus Comitatum *Hardeccensem* esse *Spangenbergius* inquit: aliis autem ex Eremo *Helvetiorum* illi fuisse videntur. *Ortelius*, & cum illo *Jucundus Veronensis*, facit *Harudes* populos *TransRhenanos*, in *Gallia Celtica*, vicinos *Sequanis*, ubi hodie *Costenz*, Gallis *Le pays à lentour de Constance*: scilicet totus ille tractus, qui trans *Rhenum* & lacum *Acronium* est situs, ubi *Buchornum*, *Mersburgum* ac *Uberlinga* nunc positæ sunt: licet *Vignereus* de illis dubitet, num sint *Marudes Ptolemæi*, qui in *Cimbrica* Chersoneso *Phundusiis* magis orientales: quo cum sentit *Hofmannus* in Lexic. h. v. *Julius Cæsar* lib. I. Commentar. Bell. *Gall.* *Ariovistum* Germano-

Harudes.

rum Regem in Exercitu ſuo in *Gallia Harudes* quoque habuiſſe ſcribit: quem probabile eſt proximos ſibi *Sequanos* in auxilium contra *Aeduos* vocaſſe, illos ſcilicet, qui inter *Mœnum*, *Danubium* & *Rhenum* amnes incoluerunt: Unde colligitur *Harudes* quoque finibus *Ariovistini* in *Germania* Regni, de quo ſtatim infra plura dicentur, contentos fuiſſe. Hos autem deinde *Marobodus* Rex *Suevorum* cum *Marcomannis* & *Sedusiis* ex antiquiſſimis ad *Rhenum* ſedibus in *Bojohæmum* deduxit, novum ibi conditurus Regnum. *Harudes* autem quia poſtremi omnium in Galliam ad *Arioviſtum* commigrarunt, teſte *Cæſare* l. c. hinc poſtremos etiam atque remotiſſimos omnium fines domi in *Germania* eos coluiſſe exiſtimat *Cluverius* in *Germ. Antiq. lib. 3. cap. 3.* ubi reliquum agrorum iis adſcribit, quod a *Marcomannis* & *Sedusiis* inter *Mœnum* & *Danubium* ad *Nariſcorum* uſque confinium extenſum fuit, terminum inter *Harudes* & *Nariſcos* ſtatuens juxta lineam, ab fontibus *Mœni* ad oppidum *Ingolſtat* ductam: quibus finibus hodie continentur *Franconiæ* ac *Palatinatus* Superioris partes, cum agro *Noribergenſi*: Item *Sueviæ* portio, qua oppida *Dünckelspüel* & *Nördlingen*. *Lazius* de migrat. Gent. lib. 9. pag. 643. in ſexta *Marcomannorum* habitatione *Harudes* facit *Procopii Arborichos*, lingua *Teutonica* die Harudenrichen ſive Arürcichen/ quos poſteriora Secula *Armoricos* nominarint, quique deinceps pulſi a *Francis Belgicæ* littoralem oram occupaverint, ubi *Armorica* Provincia conſtituta. *Cluverius* vero l. c. lib. 3. cap. 30. pag. 116. putat *Harudum* nomen poſtquam in *Boiæmum* commigrarint, in *Marcomannorum* appellationem tranſiiſſe, quia poſt ea tempora a nullo Autore memorentur. Primam autem hodiernæ Illuſtriſſimæ *Hardecciæ* Familiæ originem refert celeberrimus *P. Bucelinus* Tom. III. *German.* pag. 74. una cum *Lazio* de Migrat. Gent. lib. 6. pag. 212. ad vetuſtiſſimam Familiam *Prueshenkianam*. vid. Digniſſ. D. *Spenerus* lib. 3. cap. 22. Oper. Herald. part. Special. ubi etiam notat Comitatum *Hardeck* in variis Familiis hæſiſſe. vid. idem in Theatro Nobilitat. *Europeæ*, part. 2.

Familia Comitum *Hardeciorum*.

X.

Hermunduri.

Spectant huc etiam *Harmunduri*: quos *Cruſius* l. cit. quaſi Ermunderer/ Hertzmänner/ aut Heermänner dictos putat, & in-

incoluisse scribit triangularem Regionem, quæ intra *Albim, Salam* & *Bohemicos* (qui *Sudetes* dicuntur) montes sita. *Danubii* ripam descripturus *Tacitus* de Morib. *Germ.* hæc de *Hermunduris* tradit: *Propior* inquit *Hermundurorum Civitas: fida Romanis, eoque solis Germanorum, non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Rhetiæ Provinciæ colonia. passim sine custode transeunt, & cum cæteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque, patefecimus non concupiscentibus.* Magnam fuisse *Hermundurorum*, quorum etiam meminit *Capitolinus* in *Marco* Imp. civitatem, a *Sala* confluente ad *Danubium* usque in longum provectam, verum hanc amplitudinem agrorum ab *Harudum* demum in *Bojobæmum* migratione cepisse, scribit *Cluverius* l. c. lib. 3. cap. 28. nam antea *Mœno* tenus porrectos *Hermunduros*: primo *Helvetiis*, dein *Harudibus Mœnum* inter *Danubiumque*, incolentibus: fines autem *Hermundurorum* cis *Albim*, quos post *Harudum* migrationem habuerint, indicare *Vellejum Paterculum*, qui ipse sub *Tiberio* Duce hisce in oris militans, coram loca inspexerit, & hoc scriptum reliquerit: *Albis Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit.* Contineri autem hodie, etiam *Baudrando* consentiente, his finibus, *Anhaltini* Principatus, Ducatusque *Saxoniæ* portiones inter *Salam*, atque *Albim*: *Voytlandiam* totam, *Coburgiensis* Ducatus partem, qua oppidum *Coburg*: dein *Brandenburgiensibus* Marchionibus subjecta oppida *Culmbach, Cronach, Pareut*: hinc *Franciæ* partem ad lævam *Mœni* ripam, qua oppida *Bamberg*, & *Forchaim*: item *Palatinatus* Superioris exiguam portionem, qua urbs hodie *Germanicarum* nobilissima *Norimberga* cum agro suo: Dein *Sueviæ* Ducatus portionem, qua oppida *Dünckelspühel*, & *Nordlingen*, tradit quoque l. c. *Cluverius.* Quando autem *Tacitus* scribit: *In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum & notum olim: nunc tantum auditur:* errare tantum Scriptorem, & verum *Albis* fontem ignorasse, audacter adfirmat l. c. *Cluverius*, multis & validis subnixus argumentis. *Albis* enim ortum scimus esse in extremis *Boiobæmi* versus Orientem æstivum finibus, tractusque *Hercyniæ* Sylvæ, qui a Gigantibus nomen habet, in confinio *Silesiæ*, qua oppidum haud procul situm *Smideberg*, in valle, vulgo Teufels-

Fons *Albis*

Grund dicta: ubi ex monte, Cacodæmone Ribenzal infesto, profluit, qui vulgo vocatur das Riesen-Gebürge: longe ab iis finibus qui *Hermunduris* adsignantur: quos male etiam nonnulli ex *Eutropio Ligiis Ungariæ* proximos faciunt. De fonte *Albis* plura vid. apud *Ortelium* in Thesaur. Geograph. h. v. *Fabricium* in *Misnicis*. *Bohemi Albim* dicunt *Labe*, *Germani* Elve & Elbe/ quod undecim significat, a tot fontibus, ut *Bohemi*, vel amnibus, ut *Saxones* volunt, in eum influentibus: unde vulgatus ille *Osii* versiculus:

Nomen ab undenis fontibus Albis habet.

Vid. plura de his apud *Albinum* in Chronico *Misniæ* Tit. IV. pag. 18. & Tit. XXIV. pag. 322. & seqq. ubi etiam veterum Scriptorum, *Taciti*, & *Dionis* sententias de origine *Albis* conciliare studet: idemque de *Hermunduris* priscis *Sueviæ* populis, & *Misniæ* incolis multa tradit l. c. tit. 2. 3. 12. 13. De *Hermundurorum* porro sedibus & habitationibus hæc scribit *Jacobus Schickfusius* in Chronic. *Siles.* lib. 1. cap. 1. pag. 5. Vorzeiten hielten die Hermunduri inne/ den dreyeckichten Platz zwischen der Elb und der Sala/ fast vom Ursprung der Elb an/ biß beede Wasser zusamen stossen. Dieser Platz wird jetzt Meissen genant/ von den alten Mysis, die sampt den Heneten sich dahin gesetzt. *Dilichius* in Chronic. *Hass.* p. 13. haud aliena his tradit: *Hermunduri* haben am rechten Ufer der Sala/ wie die Catten gegen über am lincken Ufer gewohnt/ darüber sie dann auch endlich der Saltz-Bronnen halber aneinander gerathen. Nach ihrem Abzug sind die Meißner daselbst ingewurtzlet. De *Hermundurorum* Metallurgia Argentaria vid. Dissertatio Excellentiss. D. *Rechenbergeri* Profess. in Acad. *Lipsiensi*. & de Spiritu in monte Gigantæo *Silesiorum*, vulgari nomine Rübezahl/ Disputatio Præcellentiss. Dn. *Frentzelii*, Facultatis Philos. in Acad. *Wittebergensi* Adjuncti.

XI.

Halvecones. Helvicia. Helvetia.

Recensentur in hac serie Populorum a *Crusio* quoque *Halvecones*, *Tacito* etiam memorati, *Mutio* dicti *Helvetiani*, sed vitiosissime, *Bartolino Elvones*. *Hofmannus* in Lexico h. v. vult *Plinio* appellatos *Hillleviones* lib. 4. ipse autem probat magis hos esse

El-

Elvingonas, a quibus *Prussorum* civitas dicta *Elvinga* existimari possit, *Ptolemæo Aelvæones*. Hos autem, & *Helvecones*, non fuisse in *Porussia* tradit *Hartknochius* part. 1. cap. 1. *Porussiæ* antiquæ & novæ p. 35. & part. 2. cap. 3. p. 379. ubi ab his quoque *Elbingæ* nomen removet, & illos *Silesiæ* populos facit. Ab his autem *Crusio*, & nonnullis aliis, dicitur *Helvicia*, *Helvetia*: regio natura munita, in qua se antiquis temporibus hi *Suevi* collocarint, nominati quoque olim *Alpmannæ*, ab *Alpibus*, quarum accolæ erant. Alpes vero hasce esse montes, qui a *Danubii* & *Nicri* fontibus in Orientem versus, juxta lævam *Danubii* ripam porrecti, etiam nunc vulgò dicuntur incolis die Alben/ ad finem operis de *Germ. Antiq.* ostendit *Cluverius* lib. 3. cap. 48. Hi *Tacito*, *Plinio*, & *Cæsari* dicuntur *Helvetii*: *Ptolemæo Elvetii* Ελκήτιοι. apud *Strabonem* geminato t t leguntur, populus qui *Galliam* olim & *Germaniam* incoluit: unde *Cæsari* contineri scribitur inter *Juram* montem, *Rhenum*, & *Rhodanum* flumina, *Lemannumque* lacum: *Tacito* de moribus *Germanorum* inter *Hercyniam* Sylvam *Rhenumque*, & *Mœnum* flumina. Sed & *Quados*, de quibus infra, olim *Helvetios* dictos *Eutropius* notat, qui & *Helvetios* dictos postea *Sequanos* observavit. Sed & *Ptolemæi Helvetiorum* Nemus & *Eremus*, ἡ τῶν Ελκητίων ἔρημος, sub *Intuergis* & *Caritnis* *Peucero* & *Althamero* putatur *Martiana* Sylva in *Germania*, vulgo **Schwartzwald**: ex quo Nigram Sylvam fecerunt Latini juniores, circa *Nicri* nostri *Danubiique* fontes. *Cluverius* autem l. c. lib. 3. cap. 2. *Helvetiorum* desertum ad Septentrionale *Alpium* latus ponit, & satis longe illos errare dicit, qui id interpretentur *Martianam* Sylvam, *Marcellino* ac Tabulæ Itinerariæ memoratam, quæ supra fontem *Danubii* ex occasu æstivo, in ortum hybernum ad lacum *Brigantinum* porrigatur. *Hofmannus Helvetiorum* Eremum Regionem ait videri inter *Hercyniam* Sylvam, *Rhenumque* & *Mœnum* amnes *Helvetiis* habitatam, hos enim in *Germaniam* colonias misisse. Hodie *Helvetii*, *Suiceri*, a pago *Suitio*, & ab hoc regio *Suitia* dicitur, quam *Alemanni* inter *Rhenum*, *Mœnum*, ac *Danubium* loca tenentes, tandem quoque post tempora *Honorii* Imperatoris occuparunt, & *Germaniæ* corpori adjecerunt, Ducibus suis subjectam: donec in libertatem se vindicavit.

Helvetiorũ Nemus & Eremus. *Martiana* Sylva. Nigra Sylva.

Suiceri. *Suitia Germaniæ* corpori adjecta. Ducibus suis subjecta: Deinde libera.

Hodie finis *Sueviæ*.

Hodie est finis *Sueviæ* versus meridiem. Bene autem *Hofmannus* quoque in Lexico h. v. *Helvetios* duplices facit: antiquiores, quorum præfati Authores, ut & *Cicero*, *Plutarchus*, *Strabo*, *Florus*, &c. meminere, *Græcis* Ἐλουήτιοι vel Ἐλβήτιοι: & recentiores, qui in priorum locum successerunt. Seculo enim post *Christum* natum tertio *Alemanni* irruptione facta Urbes *Helvetiorum* diruere, a *Constantino Chloro* ad *Vindonissam* repressi: qui iterum dein a *Constantino*, *Juliano*, *Valentiniano*, *Gratiano* rem gerentes, *Helvetiæ* partem occuparunt, & in eandem cum *Helvetiis* gentem, quibus & mores, & sermonem miscuerunt, coaluere. Et hi recentiores *Helvetii*, *Suitones*, *Suiceri* dicuntur: an a *Vitis*, Gente Aquilonari, an a *Suecis?* an potius a pago *Suitia*, in quo Confœderationis initium factum, quærit *Hofmannus* l. c. ubi amplius videatur: determinans inter alia fines hodiernæ *Helvetiæ*, inter montem *Juram*, Lacum *Genevensem*, *Italiam*, & *Rhenum*, quem a Septentrione habet, ab egressu Lacus *Cellensis* ad *Rauracos* usque, paucis exceptis: ab Oriente *Sueviæ* partem, Comitatum *Tirolis*, & partem aliquam ditionis *Venetorum*: a meridie *Bergòmates*, *Mediolanenses*, & *Pedemontanos*: ab occasu *Sabaudiam*. Sed de priscis *Helvetiis*, illorumque sedibus, & Regione, item nomine, & tota adeo *Helvetia*, vide plura apud *Stumpffium* in Chronico *Helvet.* lib. 4. per tot. ubi cap. 2. longe aliam nominis rationem dat, quam *Crusius*, & cap. 22. *Helvetiam* partem facit *Alemanniæ* & cap. 26. *Helvetiam* inter *Burgundos* & *Alemannos* divisam refert. Scripserunt autem veteres Cosmographi, teste *Münstero* lib. 1. pag. 37. quod *Helvetii* olim incoluerint terram, quæ est juxta ortum *Danubii*, appellaveruntque habitationem eorum Heremum *Helvetiorum;* nostro vero tempore inhabitant *Alpium* montes. Plura de *Helvetia*, quæ hodie *Suicerorum* seu Confœderatorum Regio, prima Occidente & Oriente *Germanicæ* Nationis Provincia, *Galliæ* & *Italiæ* vicina, vide apud eundem *Münsterum* in Cosmographia lib. 3. pag. 328. seqq. ubi etiam qualiter ante natum Christum *Cimbri* Populi *Germaniæ* in *Helvetiam* venerint, explicat. Videatur quoque *Franciscus Guilemannus* de Rebus *Helvetiorum*, ubi habentur quoque elogia hujus gentis, ex Scriptorum veterum recentiumque testimoniis, quæ

Quondam pars *Alemanniæ*.

nunc

nunc haud accumulamus: & de iisdem *Cluverius Germ. Ant.* lib. 2. cap. 4. & lib. 3. cap. 2. ubi plura de finibus, civitate, pagis, oppidis, & claritudine hujus Gentis. De qua vid. quoque præter *Hottingerum, Lazius:* item *Stettleri*, & *Suiceri* Chronic. *Helvet.* ut & *Joh. Bapt. Plantini Helvetia* nova, & antiqua. *Helvetii* autem isti intra *Galliæ Belgicæ* fines positi *Rhenum* olim transgressi, proximos *Germaniæ* agros cum obsederint, credibile est illos has quoque *Wirtembergiæ* partes incoluisse, quæ juxta ripam *Danubii* extenduntur, & jugo illo continentur, quod ab *Abnoba* monte, & *Nicri* fonte initium sumens, inter *Danubium* & *Nicrum* porrigitur, versus *Brentium* fluvium, complures fundens amnes, quorum alii in *Nicrum*, alii in *Danubium* delabuntur, cui Tractui hodieque nomen *Alpium* manet: ipsa regio **die Albe**: & inter duo oppida *Uracum* & *Blabyram*, utrumque *Wirtembergicæ* ditionis, **Die Rauhe Albe.** v. Rev. Dn. M. *Joh. Mayeri* Pastoris *Dußling.* **Beschreibung deß Erdbruchs bey Blaubeyren/** adjuncta descriptioni Cometæ Anno 1680. De tempore autem quando *Helvetii* pulsis *Germanis* loca ista invaserint, ex auctorum lectione hæc colligit *Cluverius* l. c. lib. 3. c. 2. factum id eodem circiter tempore, quo *Boji Bojohæmum* occuparunt, *Prisco* scil. *Tarquinio Romæ* regnante, id est, circa annum ab urbe condita C L. ante natum *Christum* D C. Quamdiu autem *Helvetii* dictas sedes tenuerint, item a quibus populis pulsi, in quas terras migrarint, prorsus incertum esse scribit *Cluverius* l. c. ubi tamen conjicit, pulsos forte fuisse a *Germaniæ* Gentibus, *Marcomannis, Sedusiis, Harudibus,* atque *Nariscis*, quarum priores tres ante *Julium Cæsarem* eadem coluerunt loca. *Hadr. Valesius* in Notit. *Gall. Helvetios Belgicam* Gentem, olim Provinciæ *Maximæ Sequanorum* attributos, postea sub *Merovei* posteris amisso priori nomine in duas partes divisos scribit, quarum altera, pagus scil. *Tigurinus*, inter *Rhenum* & *Ursam* fluv. ab *Alemannis* occupata, & Ducatui *Alemanniæ*, seu *Sueviæ* adscripta sub *Austrasiæ* Regibus: altera ab *Ursa* ad *Rhodanum*, & montem *Juram* pertinens, pagus *Transjurensis*, *Sequanis* cæterisque *Gallis* dicta, *Burgundiæ* Regibus attributa fuerit. Exeuntes autem ad Imperium totius *Galliæ Celticæ* occupandum *Helvetii* finibus suis, a *Cæsare* devicti, & sub jugum Im-

Helvetii Wirtembergiæ Incolæ & *Alpium*.

Imperii Romani redacti, memoria magis antiquæ gloriæ, quam novis gestis deinceps claruerunt, donec *Alemanni* posterioribus Seculis solum eorum invadentes, postremum ex ipsa *Germania* profecti, *Helvetium* agrum occuparunt, quem in hunc usque diem tenent. De *Helvetiorum* Republica plura vid. apud *Simlerum*, & *Danielem Eremitam* in Epistola ad D. *Ferdinandum Gonzagam Mantuæ* Ducis fil. Addatur his *Disputatio* nostra prior, ejusdem cum hac argumenti, Thes. XXI. & XXXIII. Hæc autem de *Helvetiis* licet sint vera, hoc tamen notari adhuc potest, *Crusium* l. c. non bene inter *Hælvecones* mentionem facere *Helvetiæ*. *Tacitus* enim *Hælvecones* refert ad *Lygios*, qui alii ab *Helvetiis*, ut statim apparebit Thes. seq. XII. *Helveconum* autem sedes in *Poloniam* majorem collocat *Schickfusius* in Chronic. *Siles.* lib. 1. cap. 1. p. 6. extremos versus Septentriones, proximosque *Burgundionibus*, ex positione *Ptolemæi* collocat *Clüverius* l. c. lib. 3. cap. 33. p. 127.

XII.

Ilingi. Sequuntur apud *Crusium* l. c. *Ilingi*, *Ptolemæi* Ἰλιγγαι. quo loco quidam Interpretes *Lineæ* substituunt. Hos *Crusius* collocat juxta *Ilinburgum*, nunc *Eilenburgum*, quod est oppidum ad *Muldam*: & ab illis, nescio qua fide, ortum putat *Ilingicum* in *Suevia* Comitatum, postea *Dillingensem* dictum, hodie *Augustani* Episcopi sedem: de cujus Comitibus vid. *Lazius* de Migrat. Gent. lib. 8. p. 534. seqq. Ab *Ilingis* quoque priscam arcem *Ilefeldam*, in Monasterium postea mutatam, forte conditam, fluviumque *Ileram* ab ipsis nominatum conjecturari audet idem *Crusius* l. c. addens tamen, *Ilingos Peucerum* pro *Elysiis Taciti* habere: nec posse nos illa exacte post tot Seculorum decursum scire, quæ externis Scriptoribus ipsis non satis nota erant: nostros autem antiquissimos Majores literarum rudes nihil scripsisse. *Ortelius Ilingas* (ita enim vocat) populos in *Germania* facit circa *Silesiam*, & ab his, & sono & situ, haud longe abesse oppidum *Lignitz* inter *Görlitzium* & *Vratislaviam*, scribit, in Thesauro Geographico. De *Ilingis* porro hæc tradit *Albinus* in Chronico *Misniæ* Tit. IV. p. 49: Es haben auch ein Theil der *Suevorum Ilingæ* geheissen / welcher *Ptolemæus* gedenckt / und sie nach den *Semnonibus* oder *Senonibus* setzt /

setzt/ von denen gehalten wird / daß es deß *Taciti Elysii* seyn/ so er unter die *Lygios* als ein Hauptvolck der *Suevorum* rechnet. Diese werden von etlichen Scribenten an die Milda und umb die Statt Ilinburg oder Eilenburg (welche von jhnen soll benennet seyn) gesetzt. Andere aber/ so beym *Ptolemæo* näher bleiben/ setzen sie an die Elbe und Schwartz Elster/ als die sie/ wie gesagt/ für einerley mit den *Elysiis* halten/ welche biß an die *Lygios* gewohnet / auff welche Weis sie etwas ausserhalb Meyssen gesessen wären/ nämlich an dem Ort/ da jetzt Laußnitz ist/ als zwischen der Elster und Spree/ da *Curæus* die nider und mittel Schlesien dazu thut / oder villeicht besser hinunter. *Sarcerius* schreibt hievon also : *Tractus veterum Ilingorum hodie Lausnicia vocatur.* Et pag. seq. Sonsten was der Statt Ilenburg Namen belanget/ weiß ich wol daß er gemeiniglich vom Nahmen *Julio* von etlichen derivirt wird / daher sie sonderlich das Schloß (welches eigentlich Ilenburg/ und die Statt Miltenaw heissen soll) *arcem Juliam* nennen/ als welches vom *Julio Cæsare* erbauet seyn soll. Andere tichten auch/ es sey von einem Kriegs-Fürsten oder Grafen *Ilba* genant/ erbauet/ denen *Garzo* gefolget/ welchs so wenig Grund/ als von Julio/ welcher nie so fern kommen. Wenn man nu bey den Teutschen Wörtlein Eilen/ *festinare*, oder Eule/ *noctua*, nicht bleiben will/ davon ich einem jeden sein gutgedüncken lasse/ weil es die Alten Ilinburg schreiben/ wird es nicht übel von diesen *Ilingis*, so auch vom Eylen/ wie etliche wollen/ genennet gewesen/ können gezogen werden/ wiewol auch von einer andern Meinung/ das sie von einem *Ilone* erbauet/anderst wo mehr zu melden. Plura de Comitatu *Eilenburgico* vid. apud eundem Anthorem l. c. Tit. xv. p. 187. 203. De *Ilingorum* autem Sedibus hæc tradit *Schickfusius* in Chronic. *Siles.* lib. 1. cap. 1. pag. 6. Nach den Senonen / das ist/ nach der Marck Brandenburg/ setzet er (Ptolemæus) die *Ilingos* (welche auch Elysier seynd) an dem Ort/ da jetzt das Mittel und Nider Schlesien/ beyde Ober und Nider Laußnitz ist/ biß an die Spree/ und Ilster ꝛc.

Comitatus *Eilenburgicus.*

XIII.

Juthingos, sive *Jutungos* in *Tyrolensi* Comitatu cum *Span*-

Iuthingi.

D

gen-

genbergio ponit *Crusius* l. c. *Ortelius* ex *Suida* nomen Gentis facit, quæ *Istrum* trajecit: quorum meminit D. *Ambrosius* in Epistolis, & *Ammianus Marcellinus* lib. XVII. Histor. vocatque *Alemannorum* partem *Italicis* conterminam tractibus. Eosdem *Vitungos* putat *Ortelius* in Thes. Geogr. ab *Eumenio*, & *Vithungos* a *Sidonio Apollinari* in Panegyrico vocatos, item *Virtunguos* corrupte a *Pollione* in *Aurelio:* quos hodie *Wirtembergenses* quoque cum B. *Rhenano* facit *Hofmannus*. qui vid. in Continuat. Lexic. h. v.

XIV.

Lygii. Luii.

Lygii, *Ligii* & *Luii* magna *Germaniæ* Gens, a *Maroboduo Suevorum* Rege domita, inter *Viadrum* fluv. *Bohemiæque* montes, & circa *Vratislaviam* ac *Lignicium*, partimque trans *Viadrum* in Polonia juxta *Gnesnam* & *Posnaviam* a *Crusio* quoque inter *Suevos* l. c. ponuntur. *Willichio* sunt, **die Schlesier**/ *Andreas Vellejus* **Langland** Insulam *Balthici* maris interpretatur. *Lygios* autem inter *Suevos* quoque comprehendit *Tacitus*, & eosdem ad *Silesios* refert *Schickfusius* l. c. lib. 1. cap. 1. pag. 6. & cap. 2. pag. 10. Fuerunt autem *Lygii* a latere *Osorum Buriorumque*, quorum omne solum ultra *Germanorum* nomen, a *Lecho* quondam occupatum, immigrantibus *Slavis* nunc *Poloni* colunt. De illis hæc *Tacitus: Dirimit scinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt: Ex quibus latissime patet Lygiorum nomen, in plures civitates diffusum: valentissimas nominasse sufficiet: Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos.* Et postea ibidem de moribus *Germanorum: Trans Lygios Gothones regnantur.* De *Lygiis* autem, quorum nomen varie scriptum reperitur, plura vid. apud *Cluverium* in *German. Antiq.* lib. 3. cap. 33. *Hofmannum* in Lexic. h. v.

XV.

Lemovii.

Lemovii Germaniæ populi, *Tacito* quoque nominati, *Crusio* & *Curæo* in *Livonia* ponuntur, *Ortelio* autem sunt *Megapolitani.* De his *Tacitus* in libro de *Germania: Protinus deinde ab Oceano Rugii, & Lemovii: omniumque harum Gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, & erga Reges obsequium.* Porrigebantur

bantur ergo, inquit *Cluverius* l. c. lib. 3. cap. 35. *Rugii* atque *Lemovii* in littore maris *Suevici*, inter *Gothones* & *Viadrum* amnem; includitque *Cluverius* l. c. *Lemoviorum* finibus nunc magnam *Cassubiæ* partem, in cujus medio oppidum *Lewenborg*, five *Lawenborg* item *Pomeraniæ* proximam portionem qua oppidum *Stolpe*. & miratur idem Auctor apud nullum alium Auctorem reperiri *Lemoviorum* nomen, cum tamen solos hos in communi Gentium Septentrionalium commigratione quievisse non sit credibile. An vero sint *Linones* Helmoldi, vel potius *Luinones*, incerta esse videtur conjectura *Hofmanni* Lexic. h. v.

XVI.

Marsingi. Marsigni.

Marsingi, vel *Marsigni*, ad *Sarmaticos* montes circa Comitatum *Zipsensem* a *Crusio* referuntur: Hos *Germaniæ* populos quoque refert *Tacitus*, & *Althammerus* eosdem putat *Marvignos* *Ptolemæi*: consentit *Cluverius* l. c. lib. 3. cap. 32. p. 126. ubi ultra *Osos*, inter *Bojohæmum* & *Lygios*, refert *Marsignos*, proximos hos faciens *Marcomannis* ad *Viadrum* usque, contineri que ait illorum finibus hodie celeberrimam totius *Silesiæ* partem, qua oppida nobilissima *Neisse*, *Münsterberg*, *Grotka*, *Brige*, *Olaw*, *Sweinitz*, *Strige*, *Lignitz*, & ipsum totius *Silesiæ* caput *Breslaw*, prætereaque Comitatum *Glacensem*. *Schickfusius* in Chronico *Silesiæ* l. 1. c. 1. pag. 6. post *Quados* inter populos ad montem *Carpathium* ponit *Marsignos*, scribens: **Hinter diese/ nach Auffgang unter dem Berg** *Carpatho*, **setzen** *Tacitus* **und** *Ptolemæus* **andere Völcker/ die geringer und unnahmhaffter seyn/ als die Teutschen/ darunter doch auch Schwaben oder** *Suevi* **untergemengt; von denen nennen sie die** *Marsignos*. De Comitatu verò *Glacensi* vid. *Schickfusius* l. c. lib. 2. cap. 30. & alibi. Et de eodem, variisque mutationibus circa eum vid. D. *Spenerus* in Oper. Herald. part. Spec. lib. 3. cap. 22. §. 5. & cap. 30. §. 33.

XVII.

Manimi.

Manimos, *Tacito* quoque nominatos, in extremis *Austriæ* finibus ponit *Crusius*, *Peucerus* illos cum *Ariis* locat, ubi *Curetes* hodie, & *Samogethi*: *Lazius* ubi **Manhartzperg** hodie, inter *Hercyniam* Sylvam, & *Danubium*: Esse qui horum nomen in *Mone*

Insula *Daniæ* superesse putent, & inter hos *Andream Vellejum* in Chronico *Daniæ*, scribit *Ortelius* in Thesaur. Geograph. h. v. Quid de *Mansfeld* veteri *Saxoniæ* Castello, & postea Comitatu, a *Manimis* derivando sentiendum, *Hofmanno* relinquimus. Eidem *Crusio* l. c. *Marsaci* vel *Masaci* corrupte, *Plinio Marsatii*, viri bellicosi juxta *Mosam* ad *Trajectum* & *Maseckum* dicuntur, adstipulante quoque *Huberto Leodio*: cui tamen minime assentitur *Petrus Divæus*, neque injuria, ut præter *Cluverium* sentit *Ortelius*, *Marsacos* enim *Plinium* inter *Helium* & *Flevum Rheni* ostia, describere ait: creditque idem *Ortelius* **Marsen** pagum, qui milliare distat ab *Ultrajecto*, istorum nominis memoriam conservare. Alii, ut *Hieronymus Verrutius*, & *Hadrianus Junius*, in alias *Hollandiæ* Septentrionalis partes illos contulerunt. *Cluverius* quidem in *German. Antiq.* lib. 3. cap. 11. p. 43. de *Marsacis* non temere quidquam credit, *Caninefatibus* tamen *Batavorum* Insulam colentibus confines fuisse, consentiente quoque *Baudrando*, audacter ex *Tacito* & *Plinio* adfirmat, illorumque Regionem nunc dici *Velaviam*, vulgo *de Veluwe*, partem *Geldriæ*, oppidaque in ea sterni apud dextram *Rheni* ripam, *Arnhem*, *Wageninge*, *Rhenen*. *Marsacorum* autem Gentem partem quondam fuisse *Marsorum* (qui inter antiquissima *Germanorum* nomina relati) digressu horum divulsam, suisque in sedibus relictam, credit *Cluverius* l. cit. ubi occasionem istius digressus, & plura de *Marsis* scribit.

Marsaci.
Masaci.

XVIII.

Mattiarii.

Mattiarios domicilium olim in *Hassia* habentes, refert quoque *Crusius* l. c. qui *Tacito* sunt *Galliæ Belgicæ* populi, sed ultra *Rhenum*. Liber Notitiarum illos *Batavis* quoque subjungit: neque alios quam *Selandos*, Insulas aliquot *Oceani* inter *Hollandiam*, *Flandriam* & *Brabantiam* incolentes, cum *Lemnio* & *Junio* accipit *Ortelius*, atque vetus nomen a *Mattiaco Cattorum* loco originem habere suspicatur, addens *Mejerum* quoque audere *Mattiacum Middelburgum* interpretari, primariam istius Gentis in his Insulis urbem, quasi *Mattiaburgum*. Alias *Mattiacum* Ματτιακὸν, alia *Germaniæ* urbs *Ptolemæo*, *Tacito Mattium*, quam *Cattorum* caput vocat, cujus situs, ut *Ptolemæus* illam describit, congruit

Mattiacum.
Marpurgum.

gruit cum *Marpurgo Hassiæ* urbe primaria, ubi Academia: neque nominis allusio adeo dissona est. *Mattiacos* fontes, de quibus vid. *Dilich.* in Chronic. *Hass.* p. 23. 75. quoque habet *Plinius* in *Germania* & *Mattiacas* Aquas, quæ nunc vulgo vocantur *Wisbaden*, *Marcellinus*, & *Mattiacos* populos *Tacitus*. *Cluverius* autem in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 7. vulgus Geographorum hujus ævi *Selandicas* Insulas quondam *Mattiacorum* incoluisse gentem ingenti errore, quo summi etiam viri impliciti fuerint, statuere scribit, & veram *Mattiacorum* sedem ibidem discutit, inque *Germania*, haud *Gallico* solo, quærit: quia & ipsi *Mattiaci*, *Cattorum* pars, (qui tamen non adeo malo nomine *Suevi* dicti, ut putat *Cluverius* l. c. cap. 5.) pulsis *Ubiis* agros eorum obsidentes, quorum finibus nunc tota *Wetteravia*, cum portiuncula *Hassiæ*, qua oppidum *Marpurg*, continetur. Quando autem novum hoc *Mattiacorum* nomen adsumpserit pars illa *Cattorum* in *Ubiorum* agros digressa, inquirit l. c. cap. 7. *Cluverius*, ubi suspicatur, Societatis *Romanæ* acceptionem, initium atque causam dedisse mutationi nominis, & plura de *Mattio Cattorum* & *Mattiacorum* postea principe loco, a quo nunc oppidum *Hassorum Marpurg*, adstipulante quoque *Baudrando*, ibidem scribit: quibus addatur *Dilichius* l. c. pag. 99. & seqq. *Hofmannus* in Lexic. h. v.

Mattiaca Aqua.

XIX.

Memorantur quoque *Crusio* l. c. *Mugillones*, nomen dantes fluvio *Mugel*, qui in *Danubium* influit. Hos inter *Germaniæ* quoque populos, quos *Marobodus Suevorum* Rex sibi subjecit, narrat *Strabo* lib. 7. Geograph. In *Austria* ad torrentem *Mühel* habitasse scribit *Lazius*, & cum illo sentire videtur *Hofmannus* h. v. *Nabarvalos* autem quod attinet, quos *Crusius* l. c. circa *Revaliam* & *Narvam Livoniæ* incolentes facit, illi inter *Germaniæ* Populos *Tacito* quoque memorantur. *Nuithones* porro *Tacito* quoque memoratos *Germaniæ* Populos, *Crusius* l. c. collocat ad *Burgundiæ* fines: unde nomen *Nuithlandiæ* (*Uchtlandiæ*) *Bernatium* & *Friburgensium* Regionis. Consentit *B. Rhenanus*, illorum quoque Regionem vocans **Nuithland**/ quæ est in *Helvetia*. Ex *Nuithonibus* autem *Taciti Peucerus* faciti *Gythones Ptolemæi*: quod si verum, longissime hi ab *Helvetia* hodie distabunt, inquit *Ortelius*

Mugillones.

Nabarvali.

Nuithones.

telius in Thesaur. Geograph. h. v. *Cluverius* lib. 3. cap. 27. de *German. Ant. Nuithones* refert inter septem illas Nationes ad mare usque *Suevicum* protensas, & unum inter se corpus constituentes, quales erant *Deuringi, Caviones, Angli*, ultimi *Suevorum* atque infimi ad *Albim, Varini, Eudoses, Suardones*, & hi ipsi *Nuithones*, quibus reliquum agrum dari posse inter *Suardones, Deuringos, Longobardos*, ac *Suevum*, sive *Viadrum* fluv. ubi nunc pars *Brandeburgiensis* Marchiæ, qua oppida *Prentzlow, Angermünd* &c. *Meckelburgiensis* etiam Ducatus portio, item *Pomeraniæ* pars scribit *Cluverius* l. c.

XX.

Narisci.

Nariscos, quorum apud *Tacitum* quoque, ut & *Ptolemæum*, ac *Strabonem*, inter *Germaniæ* populos mentio occurrit, *Crusius* l. c. una cum *Aventino* interpretatur **Nortgöwer** & *Vogtlandiæ, Egerlandiæ*, partisque *Bavariæ* incolas facit: quoad *Bavariam* consentit quoque *B. Rhenanus*, quoad *Vogtlandiam* sive Advocatorum terram, *Georgius Fabricius* cum *Willichio:* & sic quoque, teste *Ortelio, Joachimus Cureus*, qui hanc eandem quondam *Meraniam* vocatam dicit. Apud *Ptolemæum* autem vocabulum Οὐαριστοὺς corrigendum esse in Ναρισκοὺς monuit *Willichius*, & idem facit *Cluverius* lib. 3. cap. 29. *Germ. Ant.* ubi plura de vocabulo Gentis hujus observat, & *Nariscos* quoque in ripa *Danubii* inter *Hermunduros* ac *Marcomannos Suevos*, qui *Bojohæmum* incoluerunt, ponit: limitesque horum fuisse scribit, a meridie *Danubium*, ab *Aeni* confluente ad *Ingolstadium* usque: ab occasu, lineam hinc ad *Mœni* fontes ductam: ab ortu æstivo, *Bojohæmicos* montes ac saltus. *Nariscos* autem *Gabretæ* sylvæ junctos *Suevos* vocat *Strabo* libr. VII. Geograph. ubi *Suevorum* sedes recenset, & has inter *Hercynium* quoque saltum, quem *Suevi* tenebant *Marcomanni*, & *Quadi. Nariscorum* vero caput censent nonnulli *Egram*, quæ priscorum *Suevorum* portio, imo & posteriorum, ut *Hofmannus* in Lexico h. v. scribit: *Gothofredus* enim *Monachus Anno Domini*, inquit, *M C XX. Henricus Rex natale Domini in Suevia apud Egram agit.* Et ex finibus *Nariscorum Mœnum* oriri, Author Itiner. *Germ.* lib. 4. notat. *Gabreta* autem Sylva est quæ hodie partim *Thuringicus*, partim *Bojohæmicus* vocatur saltus: in cujus

cujus jugo Pinifero oritur *Navus* amnis, *Nariscos*, quorum nomen fortassis inde quoque derivatur, interfluens, & *Danubio* se jungens. Includere autem nunc dictos *Nariscorum* fines *Palatinatum* Superiorem, a *Vindelicia Danubio* divisum, qui & *Bavariæ* Palatinatus, & cujus caput *Amberga* (hodie Ducatus titulo insignis) dicitur, deinde Landgraviatum *Leuchtenbergicum*, qui ipse jam *Bavarici* juris, scribit *Cluverius* l. c. v. Lineamenta Historiæ de Terra Advocatorum sive **Vogtland** *M. Ehrenfr. Dürrii*, ubi plura de *Nariscis* cap. i.

XXI.

Osos, *Tacito Germaniæ* Populos, forte *Ostner*, Australes dictos putat *Crusius* l. c. allegans juxta *Andream Althammerum*, qui *Osos* eam *Germaniæ* partem incoluisse scribit, quæ est *Moraviæ* vicina, *Silesiam* & *Poloniam* versus: ubi Oppel & *Neussa* urbes sunt: idem tamen *Althammerus* postea scripsit *Osorum* reliquias adhuc hærere in ripis *Albis* fluv. *Erasmus Stella* autem cum *Sarcerio* & *Mat. Mathesio* autumat, *Misnensium* oram *Ostland* & urbem *Ositium* (**Oschitz**) ab *Osis* appellatam. Quibus contrariatur *Albinus* in Chronic. *Misn.* Tit xiv. p. 181. ibi: **Aber wir ziehen deß Landes Namen von den Völckern/ so** *Osi* **genant/ nicht her/weil wir ein bequeme Deutsche** Derivation **haben. So ist der Statt Oschitz Namen ohnzweiffel Wendisch/ wie andere dergleichen.** *Hofmannus* in Lexic. h. v. *Osenfurtum* hinc *Franconiæ* forte dictũ, nescio quam certe, conjicit. *Reineccius* **Osenburg** *Westphaliæ* ab his conjecturatur, quasi *Osorumburgum*, dici. *Georgius Bruno* ex sententia *Henrici Ranzovii Osos* Insulam *Osel*, quæ est in *Suevico* mari, habitare scribit. *Tacitus*, referente *Ortelio*, incertum esse scribit, an *Osi* ab *Araviscis*, an hi ab illis in *Pannoniam* migraverint. *Cluverius* lib. 3. cap. 32. *Osos* atque *Gothinos* proximos fuisse *Sarmatis Jazygibus*, & item *Quadis*, inde judicat, quia ab utrisque his tributa illis imponebantur, *Gothinos* tamen qui *Marcomannorum* terga claudebant, citeriores, Danubioque propiores censet: quia *Tacitus* ferrum fodisse eos tradat, scilicet sub *Hercynio* saltu, id est, *Bojohæmo*, ubi ferrifodinæ, teste etiam *Ptolemæo*. *Lazius* hinc *Gothinos* vult esse, qui hodie **Kuttenberg** *Bohemiæ* urbem incolunt, ubi argentifodinæ, in sua *Austriæ* Tabula,

Osi

bula, quam propria manu æneis laminis cælavit. *Cluverius* autem sub *Quadis* versus Orientem intelligendas esse istas fodinas scribit, nullasque alias esse, quam quæ in montium *Sarmaticorum* jugo, inter *Mari Teiæque* confluentem, & oppidum *Twardoszyn* extenso. Recte autem tributa *Gothinis* & *Osis* imposita fuisse à *Quadis* & *Sarmatis* dicit *Cluverius* l. c. quia utrisque fuerint conterMini, & quia hac conditione solum id obsederint alienigenæ; qui quia *Gallici* juris, haud dubitat *Cluverius* quin pars fuerint *Bojorum*, a *Marcomannis* antiqua sede *Bojohæmo* pulsorum: Contineri autem nunc hisce finibus *Poloniæ* particulam, qua oppida *Twardoszyn, Jablakow, Skoczow* &c. & *Silesiæ* item portiunculam, qua oppida *Teschen, Freistat* &c. item *Moraviæ* partem. Hinc apparet, qua ratione *Crusius Gothinos* apud *Dantiscum* ponat, male scil. recte tamen *Taciti* tempore *Gallica* lingua illos usos, & tunc non *Germanos* fuisse, ibidem notat. Si autem, ut *Crusius* ibidem meminit, iidem ex prosapia sunt *Gothorum, Germani* omnino essent. Qui vero *Gothinis Gothones* adjungunt, male faciunt, nam hi ab illis diversi. vid. *Cluver.* l. c. lib. 3. cap. 34. qui cap. 32. pag. 126. *Osos Gothinis* a Septentrionibus continuat, ad utramque *Viadri* ripam satis late incolentes, & longius a *Sarmatis* sitos, tributâ a *Quadis* tantum patientes: quorum finibus nunc contineatur *Silesiæ* pars, qua præcipua oppida *Oppelen, Klein-Glogaw, Ratibor, Troppa,* &c. dein *Poloniæ* oppida *Dlugoszyn, Olsztyn* &c. locumque hoc tractu *Ptolemæo* referri Παριέννων, *Pariennam*, qui hodie haud procul *Viadri* fonte, quo *Baudrandus Osos* collocat, vulgo dicatur *Parn, Moraviæ* oppidulum. Gemina his idem tradit *Cluverius* in Introduct. Geograph. lib. 3. cap. 3. ibi: *Osi Moraviæ ac Silesiæ partes coluere inter oppida Ostram & Oswiecziim, quorum hoc Vistulæ, illud Maro impositum. Infra hos fuere Gothini, itidem Silesiæ partem, inter Mari Vartæque fluminum fontes, colentes.*

XXII.

Quadi. Proximi his a *Crusio* nominantur *Quadi* bellicosissimi *Germaniæ* Populi, quos ille partem *Moraviæ*, *Silesiæ*, & *Poloniæ*, circa *Cracoviam* & *Pertercoviam* tenuisse, & ab his *Quedelburgum* appellatum esse scribit: De cætero *Saxones* adhuc malum

& mo-

& molestum hominem *Quadum* vocare. *Quadorum* autem inter *Germaniæ* populos mentionem olim fecerunt, *Arrianus*, *Strabo*, *Ptolemæus*, *Tacitus*, & alii: Et *Tacitus* quidem, juxta *Hermunduros* inquit, *Narisci, ac deinde Marcomanni, & Quadi agunt. Eaque Germaniæ velut frons est.* Et Ptolemæus: ὑπὸ τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν Κουάδοι ὑφ' οὓς τὰ σιδηρωρυχεῖα, καὶ ἡ Λοῦνα ὕλη, ὑφ' ἣν μέγα ἔθνος οἱ Βαῖμοι, μέχρι τοῦ Δανουβίου. Ferri autem istas secturas fuisse in eo montium jugo, quod a *Moraviæ* oppido *Ostra*, & fl. *Moravia* ad *Vistulæ* fontem procurrit, *Hofmannus* scribit in Lexic. h. v. Hos *Quados* autem *Austriacos*, vulgo **Oestenreich** / quendam putare, scribit *Ortelius*, in Thes. Geogr. *Dubravius* facit *Silesios*. *Aventinus* **Marckfelders** *Austriæ* tractus populos vocat. *Eutropius* *Quados* quondam, *Helvetios* dictos esse inquit. Ex *Eutropio* vero *Schickfusius* in Chronic. *Siles.* lib. 4. cap. 8. pag. 44. notat *Quados* a Septentrione in *Helvetiam*, & hinc in *Galliam* ante tempora *Julii Cæsaris* tempore motuum *Cimbricorum* profectos. *Stumpffius* vero in Chronic. *Helvet.* lib. 2. cap. 4. pag. 22. *Quados* habitasse dicit ad Sylvam *Hercyniam*, sive *Bohemicam*, in Regione *Kalmintz* & *Graoffenow*. *Zosimus* illos *Saxonum* partem dicit lib. 3. & *Bataviam* occupasse tradit. *Quados* vero plerosque Geographorum nostri Seculi in ea Regione collocare, quæ inter *Bojohæmum*, ac *Poloniam*, nunc *Silesia* vocatur, *Cluverius* lib. 3. cap. 31. *German. Ant.* scribit. qui *Quados* in *Danubii* ripa recte ponit infra *Marcomannos*. *Quadorum* autem Gentem *Getis* conterminam, extra saltum *Hercynium* scil. habitantem, inter *Suevorum* Gentes expressis verbis continet *Strabo* lib. VII. Geograph. Fuit autem antiquum Regnum *Suevicum Vannianum* inter *Quadorum* etiam fines; ut patet ex eodem *Strabone*, & *Plinio*, itemque *Tacito*, qui lib. 2. Annal. *Vannium* Regem *Quadum* fuisse ostendit: terminus autem *Suevorum*, Regnique *Vanniani*, fuit *Marus* flumen, quod nunc est *Morawa* adcolis in *Moravia*, *Slavis*, & *Germanis* **die March** / a quo Regio *Moravia*, Germanis **Mähren** / nomen accepit. Hi *Quadi* porro *Marcomannis* & *Jazygibus* tum ab aliis, tum a *Dione* lib. LXXI. conjunguntur: & Societatem ipsis armorum contra *Romanos* semper fuisse, etiam posterioribus Sæculis, vel ex uno *Marcellino* lib. 17. satis patere inquit *Cluverius* l. c. qui ex eo-

dem Authore perspici scribit, id quod etiam ex vita *M. Antonini* Imp. constat, *Quadorum* nomen tunc ad secundam usque *Pannoniam*, quam *Arrabone* amne a prima dirimit *Ptolemæus*, & *Granuam* flumen, *Bresetionemq;* pertinuisse: *Pannoniæ* oppidum vero *Bregetionem* nunc esse *Graan:* quod superiori anno felici Exercitus Cæsarei & Fœderati Expeditione, auxiliantibus quoque copiis *Suevicis*, & cum his *Serenissimis Principibus ac Dominis, Domino* GEORGIO FRIDERICO, & *Domino* LUDOVICO *Fratribus Germanis, Ducibus Wirtembergiæ & Tecciæ :* Illo Legionis Pedestris *Chiliarcha:* Hoc *Equitum Magistro, Turcis* ad *Baracanum* prius cæsis, ereptum est. Sic ergo *Quadi* ultimi *Germanorum* in *Danubii* ripa fuerunt extensi, in quorum commune nomen *Suevos* illos inter *Marum Cusumque* locatos transiisse, *Vanniique Suevorum* Regis Regnum fuisse a *Cluna* amne ad *Vagum* usque, tam in antiquos *Quados*, inter *Clunam Marumque* sitos, quam in eos *Suevos*, qui postea inter *Marum Vagumque* nomini illorum accesserunt, notat ibidem *Cluverius:* qui observavit quoque, quod jam longe ante *Taciti* memoriam *Quadi* suos habuerint Reges: quos inter *Tuder:* cujus nobile genus notat *Tacitus* libro de *Germania: Vannius*, & qui Regnum hujus inter se partiti sunt *Vangio*, & *Sido;* ut & *Italicus*. De *Quadorum* autem terminis & finibus ad posteriora usque *Ammiani Marcellini* tempora videri potest *Cluverius* l. c. ubi etiam ex *Ptolemæo* recenset *Quadorum* oppida: *Eburodunum*, inter tria præcipua *Germaniæ* oppida computatum, quod hodieque celeberrimum fere totius *Moraviæ*, *Brin Germanis* incolis, *Slavis Brno*, *Latine Brunna*: item *Eburum* hodie caput Regionis, incolis nunc *Slavis Olomucz*, *Germanis* vero *Ulmitz: Medoslanium*, nunc celebre oppidum *Znaim: Celemantiam:* quæ sub *Bojohæmicis* montibus haud procul *Tejæ* fontibus nunc vicus *Kalmintz*. Alibi autem sedes *Quadorum* bene quoque notavit idem *Cluverius* in Introduct. Geogr. lib. 3. cap. 5. ubi notat *Quados* antiquitus inter *Bojohæmum*, *Danubium*, & *Marum* fluv. incoluisse: postea vero nomen eorum ad *Sarmatica* usque juga, quæ sunt in *Hungaria*, inter duo celebria quondam oppida protensum fuisse, *Erlam* scil. & *Vaciam:* quam civitatem gloriosis armis *Invictissimi Cæsaris* LEOPOLDI recuperatam insignis *Turcarum* clades nupero mense

Reges *Quadorum.*

Fines, & oppida.

mense *Junio* iterum nobilitavit. *Quadorum* autem gens sub *M. Antonino* Imp. *Danubio* trajecto irrupit in Imperium *Romanum*, adversus quam, *Marcomannis* junctam, Imperator ille non sine prospero successu bella gessit, descripta a *Dione Cassio, Jul. Capitolino*, & *Luciano*. Illius autem Expeditionem celebriorem reddiderunt Christianæ Legionis *Melitinæ* suppliciis impetrati cœlitus imbres, cum exercitus siti fere jam confectus esset. Cujus meminerunt *Tertullianus*, *Eusebius*, *Nicephorus*, *Callistus*, *Zonaras*, *Xiphilinus*, *Orosius*, *Otho Frising. Aventinus*, & alii: licet illud Christiano nomini infensi Magicis procurationibus, vel aliis causis, male adscribant. De cætero constat ex Historia *Saxoniæ*, quod *Quedelinborgam* urbem, cujus supra fuit facta mentio, *Henricus* Auceps Rex *Germaniæ*, & Imperator *Romanus*, ab initio fundaverit, cujus inter multas laudes ea præcipua est, quod in *Saxonia* Provincia sua primus verum rebus ordinem dedit, urbes legibus & moribus formavit, immunitasque jussit muris & fossis cingi propter incursionem *Ungarorum*: quique *Quedelinborg* urbem singulari cura respexit, Monasterium ibi erigens Dominarum, in quo primam fecit Abbatissam filiam suam *Mathildim*: Ecclesiam autem in honorem Sancti *Servatii* jussit consecrari, ipsoq; mortuo translatum est corpus ejus a filiis in hanc urbem *Quedelinborg*, & in Basilica Sancti *Petri* sepultum. vid. *Saxonia* & Metropolis *Alberti Crantzii* lib. 3. cap. 12. 13. qui etiam lib. 12. cap 16. Urbem antiquam, & primorum in *Saxonia* Principum Decus *Quedelenborg* appellat. Addatur *Davidis Chytræi* Chronicon *Saxoniæ* lib. 2. pag. 57. *Zeilerus* de *S. Rom. Germanici* Imperii Decem Circulis Titul. v. pag. 371. *Gabr. Bucelinus* in *Germaniæ* Sacræ part. 2. pag. 72. *Quedlinburg*, famosissimum ac potentissimum Virginum Ordinis Divi *Benedicti* in *Saxonia* Monasterium, alias *Quellenburg* dici notat: tantum abest, ut nomen illud a *Quadis* descendat: & sita est quidem civitas *Quedlinburg* ad *Bode* fluvium, *Halberstadium* inter & *Ermerslebam*, olim potens, & inter Hanseaticas numerata, quæ Anno 1477. libertatem perdidit, postquam eam, quod Abbatissæ *Hedwigi Saxoniæ* Duci immorigera fuisset, frater hujus, *Ernestus* Elector *Saxoniæ*, Advocatus & Protector posthac hæreditarius Abbatiæ, devicit. Abbatia autem

Quedelinborga urbs: Monasteriũ & Abbatia, Principali Dignitate hodie inter Status Imperii fulgens.

illa Principali Dignitate fulget, & in Comitiis Imperii jure Sessionis atque suffragii fruitur, primumque Evangelicam Religionem, quæ nunc etiam ibi viget, Anno 1539. illi concessit *Anna* Abbatissa, e Familia Comitum de *Stolberg*. Hodie illi præest *Serenissima Princeps* ANNA SOPHIA, *Comes Palatina Rheni, Ducissa Bavariæ, Imperialis Liberi Secularis Collegii* (deß Kayserl. Freyen Weltlichen Stiffts) *Quedlinburgensis Postulata & Confirmata Abbatissa, Comes de Veldenz & Sponheim* Filia GEORGII WILHELMI *Comitis Palatini Rheni*, & DOROTHEAE *Comitissæ Solmensis, Coadjutricem* in laborum curarumque senilium consortio habens *Serenissimam Principem* ANNAM SOPHIAM, filiam GEORGII II. *Landgravii Hassiæ*, & SOPHIAE ELEONORAE, *Ducissæ Saxoniæ*, Amitam *Serenissimæ Principis* MAGDALENAE SIBYLLAE, *Viduæ Ducis Wirtembergiæ & Tecciæ, Natæ Landgraviæ Hassiæ &c. Principis ac Dominæ nostræ Clementissimæ*. vid. item de Abbatia *Quedlinburgica* Dignissimus Dn. *Spenerus* in Historia Insignium Illustrium lib. 3. cap. 27. §. 35. & *Anonymus* nuper, licet Nobilissimus Author, Notitiæ Historico-Heraldico-Genealogicæ *S. Rom. Germanici* Imperii Procerum lib. 3. cap. 22. §. 5. & seqq. De *Quadorum* vero Gentibus, exordiis, ac sedibus, illorumque reliquiis plura ex professo videri possunt apud *Lazium* de Migrat. Gentium lib. IX. ubi etiam Icon *Quadi* exhibetur: cum *Quadis* autem *Marcomanni* alioquoties confundi videntur, quos tamen probe distinxit *Cluverius* l. c. ubi etiam in princip. cap. 31. pag. 118. notat, *Quaat*, Oceani adcolis *Germanis* idem esse, quod *Slavorum* Genti *Zle*, id est, malum, seu improbum. *Quadorum* denique terram a *Lecho* Anno *Christi* 565. occupatam, *Silesiam* & majorem *Poloniam* interpretatur quoque *Cromerus* lib. 1. Histor. *Polon.*

XXIII.

Reudingi.

Reudingos, Tacito, Ptolemæo Rutidios, vel *Ruticlios* fuisse, ubi nunc *Cassubiorum* regio, & quia cum aliis *Suevis* suo loco excesserint, fieri potuisse, ut *Reütlinga*, & *Reutweila (Rotwila)* & *Rœtelanus* Marchionatus nomina ab illis acceperint, scribit *Crusius* l. c. ex *Spangenbergero*. Et hos *Cassubienses* quoque putat *Altbam-*

hammerus: atque *Taciti Reudignos Lazius* ponit in *Reytlingen Rhætiæ* urbem. Cæterum *Reudignis Germaniæ* populis apud *Tacitum* junguntur *Aviones*, quos ex *B. Rhenano* scribit *Althammerus Holsatios*, vel *Pomeranos* esse. *Brietio* autem fuerunt in *Vindiliis*, *Suevorum* pars, ubi hodie *Prigniz*, tractus Marchiæ *Brandeb.* dicti & *Redigni*, & *Toringi*, *Hofmanno*. Longe autem aliam esse rationem & originem nominis Civitatis *Rotwilæ* dictum est priori Disputatione hujus argumenti, Thes. 27. p. 44. id quod etiam de Civitate *Reutlinga* dicendum, quæ, uti *Knipschildius* de Jurib. & Privileg. Civitat. Imperial. lib. 3. c. 44. n. 5. ex communicatis *Joh. Wendelini Kurreri*, J. U. L. & Reip. istius quondam Syndici meritissimi, Generi sui, tradit, nomen traxisse videtur in *Germanico* verbo **Reütten/ außreütten/** quod est, extirpare, eradicare, & **Klingen/** quod Valles significat, quasi ab extirpandis sentibus, dumetis, vel locis sylvestribus, (ut *Hofmannus* quoque sentit) habitationi, structurisque excitandis locum faciendo, atque aptando, quibus postquam amplificari, & urbs esse cœpit, multis insignibus deinceps privilegiis, & Asyli quoque jure, donata ab Imperatoribus *Romanis*, mediocritatem hactenus adhibuere cives, caventque adhuc, ne inutili sumptu & magnificentia extra modum prodeant, modo mundities ne desit curantes. Imperii autem Civitatibus illa adscripta est a *Friderico* II. Imp. eodem auctore muro valloque circumdata, circa Annum *Christi* 1215. vel ut alii 1240. postquam ultimus pagi Dominus *Rudolfus* Comes *Achalmensis* absque hærede decessisset: e cujus ditione vicini quidam pagi ab eodem Imperatore urbi donati sunt: quorum hæc beneficiorum memor tenaciter *Friderico* adhæsit, ab *Henrico Thuringæ* Landgravio AntiCæsare Anno 1247. sed frustra, obsessa. Quod vero *Reüttlingam Rhætiæ* urbem faciat *Lazius*, nescimus quo respexerit: Quanquam enim sciamus *Rhætiam* primam a *Suevis* occupatam (vid. *Lazius* de Migrat. Gent. lib. VIII. p. 471.) tamen illud huc non pertinere videtur, & nulla alia hoc nomine nobis nota est civitas, quam quæ imperante *Friderico II.* circa Annum *Christi* 1215, vel, ut alii malunt 1240. cœpit ex pago turribus fossisque aqueis, ac muro cincta, multisque insuper Privilegiis, uti documenta testantur, & describit *Knipschildius* l. c. ornata, &, quæ, quod situm

Reutlinga Civitas Imperialis libera.

illius attinet, in *Suevia*, Alpibus *Wirtembergicis* vicina, unicum milliare a celeberrima ob Universitatem *Tubinga*, dimidium a *Nicro*, in planicie ad radices montis *Achalmici* sita: quo usque *Rhætiam* pertigisse equidem nondum nos legisse meminimus. Quod autem *Rœtelanum* Marchionatum prope *Basileam*, quo sane nunquam constat *Reudingos* pervenisse, attinet, is longe etiam recentior est, quam ut a *Reudingis* nomen acceperit, quippe qui initium suum demum circa primordia Seculi post *Christum* natum decimi quarti habet. Est quidem satis antiqua & sublimis arx illa *Rœteln*, a qua Dominium *Rœtelanum* primo innotuit. Postquam autem hoc a *Leopoldo*, seu *Luitholdo* ultimo Dynasta, Præposito *Basileensi*, Anno 1315. donatione mortis causa *Henricus V. Hochbergensis* Marchio obtinuit, & sedem quam antea *Sausenbergi* habuerat, in arcem *Rœtelensem* transtulit, ex eo demum tempore ipse & posteri Marchiones *Rœtelenses* dicti, & ditio Marchionatus *Rœtelanus*. Ex posteris autem *Henrici* illius *Philippus* ultimus Marchio *Hochbergensis* cum Agnato *Christophoro* Marchione *Badensi* Pactum hæreditariæ Successionis, confirmatione *Maximiliani I.* Imperatoris Anno 1499. accedente, renovans, moriens illum heredem reliquit & Successorem in Marchionatu *Hochbergensi* Anno 1503. Filia autem unica *Philippi* Marchionis *Joanna*, quam is ex *Maria Sabaudica* susceperat, nupta *Ludovico Aureliano* Duci de *Longueville*, attulit huic marito quæ *Philippus* Marchio parens in Pacto reservaverat suis, Comitatum scilicet *Novocastrensem* (Welsch Neuburg) in *Helvetia*, Dynastiam *S. Georgii* in *Burgundia*, & prætensionem in Principatum *Arausionensem*. Cum vero idem Dux *Longavillæus* ex Pactis Dotalibus Anno 1476. initis per *Rudolfum VIII.* Marchionem *Hochbergensem*, & a filio *Philippo* Anno 1482. juramento confirmatis, *Mariæ Sabaudæ* ejusque liberis maribus aut fœmellis donationis titulo propter nuptias debitam successionem ditionum reliquarum, inprimis *Rœtelanum* Dominium, *Susenbergam*, & *Badenwileram*, sibi vindicaret, in Camera *Spirensi* de illa Successione jure disceptatum fuit. Sed penes Marchiones *Badenses* qui 250000 (alii dicunt 225000) aureos *Ludovico Aureliano* Duci *Longævillæ* Anno 1581. ut omni jure prætenso cederet, numerarunt,

Marchia Rœteln.

runt, atque ita litem redemerunt, mansit possessio, etiam cum titulo, & insignibus *Rœtelensibus*. Verum uti *Franciscus*, *Ludovici* & *Joannæ* filius, Marchionis *Rœtelni* nomen sibi quoque vindicaverat: ita postea Titulum illum, prætensione tamen omni omissa, filius ejus naturalis ad posteros transmisit. vid. Dn. D. *Spenerus* in Sylloge Genealogico-Historica, in Familia *Badensi* pag. 616. & in Historia Insignium Illustrium lib. 2. cap. 4. pag. 384. Addi possunt Tabulæ, ut vocantur Genealogicæ *Tubingenses*, in Marchionibus *Badensibus*. *Lazius* de Migrat. Gent. lib. VIII. p. 510. ubi *Ludovicum Aurelianum* Ducem *Longevillæum* vocat *Burgundum* Dominum de *Dunes* (fuit enim Comitatus de *Dunes* in Familia *Longavillea*) & mentionem quoque facit prætensionis cujusdam Ducum *Austriæ* in Comitatum *Rötelensem*. *Reusnerus* in Opere Genealogico Catholico pag. 512. ubi *Ludovicum Aurelianum* rectius *Gallum* appellat. Excell. Dn. *Schurzfleisch* de Rebus *Badensibus*: Author Notitiæ *S. Rom. Germ.* Imperii Procerum, lib. IV. cap. 8. §. 4.

XXIV.

Rugii. *Rugiorum* nomen in se *Rugiam* retinere scribit *Crusius* l. c. cui adstipulatur *Althamerus*, qui ad mare *Balthicum*, ubi Insula *Rugia*, olim multo major, illos quoque ponit. *Rugia.* *Cluverius* in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 27. pag. 107. illam *Tacito* de moribus *Germanorum* memoratam Insulam Oceani, in cujus sacro nemore septem illæ Nationes *Suevorum*, quæ unum corpus in commune inter se conficiebant, *Deuringi* scilicet, *Caviones*, *Angli*, *Varini*, *Eudoses*, *Suardones*, & *Nuithones* omnes simul festos dies, sacraque *Herthæ* Deæ (de qua supra dictum) peragebant, vult esse hanc ipsam in mari *Suevico* Insulam *Rugiam*, idque ex situ & aliis indiciis ibidem probat. *Rugii* autem continuabantur ab Occidente *Lemoviis*, atque in littore maris *Suevici* porrigebantur inter *Gothones*, & *Viadrum* amnem, usque ad *Viperam* flumen, in cujus sinistra ripa hodieque oppidum, ostio adpositum, vulgari vocabulo e veterum cultorum nomine dicitur *Rügewolde*: *Rügewolde.* prætereaque aliud est ejusdem fere nominis intus, medio situ inter *Viperam* ac *Viadrum*, quod amnis etiam præterfluit *Röge* vulgo dictus, *Ptolemæo* Ῥούγιον, *Rugium*: tum quia Regio inter dicta duo flumina pro-

proxima est Insulæ *Rugiæ*, vulgo **Rügen**: cui post *Taciti* tempora *Rugii* occupantes id nominis intulerunt. De finibus & limitibus *Rugiorum* antiquis vid. plura apud *Cluverium* l. c. qui istis hodie comprehendi scribit magnam *Pomeraniæ* partem, qua oppida *Stargard*, *Golnow*, *Wollyn*, *Camyn*, *Kolberg*, *Cöslin* &c. item Marchiæ exiguam portionem, qua loca *Tranborg*, *Falckenborg* &c. *Joh. Micrælius* in Histor. Politic. lib. 1. sect. 3. pag. 118. *Rugios* in *Pomerania* Occidentali refert ad *Vindilos*, seu *Vandalos*. *Helmoldus* lib. 1. *Altera Insula*, scribit, *longe major est contra Withos posita, quam incolunt Rani, qui & Rugiani, gens fortissima Sclavorum, qui soli Regem habent*. *Jornandes* in rebus *Gothicis* duo recenset genera *Rugorum* (ita enim hi posterioris ævi auctoribus, *Pollioni* quoque, *Sidonio*, *Ennodio*, *Diacono*, & aliis dicti sunt) quorum alteros *UlmeRugos* a *Gothis*, antequam hi *Vistulam* transirent, debellatos notat, qui inter *Viperam* quoque & *Suevum* siti: alteros *EthelRugos* vocat, quasi *Nobiles Rugos*, non in *Scanzia*, sed eadem cum reliquis *Rugis* Regione. Posterioribus temporibus *Rugos* ad *Danubii* ripam transiisse quoque ex *Diacono* de rebus *Longobardicis* probat *Cluverius* l. c. Et *Rugilandiam* quandam cum *Diacono* ad *Danubium* haud obscure ostendit *Procopius* (qui Ῥόγυς *Rogos* illos vocat) lib. 2. Rerum *Goticarum*. Ex quo deducit *Cluverius Rugios* jam ante *Justiniani* tempora inter *Transsilvaniam*, *Gepidarum* tunc sedem, & *Istrum* incoluisse. & *Herulorum Vandalorumque* exemplo una cum *Gothis* domo ab Oceano in *Sarmatiam* & ad *Mæotin* Paludem, hinc vero ad Pontum & *Istrum* fuisse profectos. Imo *Rugos* in *Italia* quoque egisse ex *Ennodio* in vita Divi *Epiphanii* constat. De *Rugorum* Gentis sedibus & reliquiis *Lazius*, qui illos ex *Gothica* natione dicit fuisse, hæc scribit l. 12. de migr. Gent. p. 791: *Rugorum discrimina, sive tribus, fuerant Ulmerugi accolæ Oceani Germanici, ubi hodie adhuc Rugilandia Insula est e regione Meclaburgensis Ducatus: EtelRugi in Germania Quadis proxime habitabant. Superest adhuc posteritas vel nomen saltem illius populi, unde titulum Brandeburgenses Principes in iis finibus usurpant, Rugorum se Principes scribentes. Erant & Rugi Turcilingi, qui Duce Ottocharo, quem Latini Scriptores corrupte Odoccarum nominant, in*

Italiam

Italiam transmigrarunt, a Theodorico Bernense Gothorum Rege pene confecti. Qui illi cladi superfuerant Gothis immixti Gothorum Regibus parebant. Quare Procopius scribit, Ildibaldo occiso quem Gothi Regem post Witigem crearant, Araricum Rugum ad Regni fuisse Gothici fastigium sublimatum. De *Rugorum* Regibus vid. plura apud eundem *Lazium* l. c. pag. 822. De cætero antiqui illi *Rugii* referri quoque possunt ad illam partem *Suevorum*, quæ, ut *Tacitus* loquitur de moribus *Germanorum*, in secretiora *Germaniæ* porrigebatur, id est, in remotiora, respectu *Hermundurorum, Nariscorum, Marcomannorum, Quadorum, Sueviæ* itidem nationum, quæ proximæ erant Provinciis *Romanis, Rhætiæ, Norico,* ac *Pannoniis*. Hodie Insula & Principatus *Rugiæ*, opibus potens, & promptum horreum *Sundensibus*, ut *Sicilia Romanis*, pars est Ducatus *Pomeraniæ, Sueciæ* Regno Pace *Osnabrugensi* satisfactionis loco sub feudi jure concessa ab Imperio. Genealogia veterum Principum *Rugiæ*, qui *Barthiam* quoque possederunt Ducatum *Pomeraniæ*, cujus caput *Stralsunda* urbs fortissima, vid. apud *Lazium* l. c. pag. 818. *Münsterum* in Cosmograph. lib. 3. pag. 772. ubi habetur quoque descriptio Insulæ *Rugiæ*, &, quod etiam facit *Henninges*, primus Principum *Rugiæ* ponitur *Witzlaus* gentilis Anno 939. tempore *Ottonis I.* Imp. cui filius datur *Jaromarus I.* Rex *Daniæ*. Alii autem *Rugiæ* Principes a *Critone Obotritorum* Regulo, novæ *Lubecæ* fundatore, & tyrannide in Christianos famoso, & ejus Successore *Razone* numerant: cujus filius *Jaromarus* Christianam fidem amplexus est, pronepos *Jarimarus* II. *Danorum* jugum excussit: abnepos *Witzlaus* III. Imperio *Romano* se subjecit: clausitque Gentem atnepos *Witzlaus* V. Anno 1325. urbem *Sundensem* vicinorum Regum & Principum auxiliis frustra obsidens. Atque ita Principatus *Rugiæ* multum licet reluctantibus *Megapolitanis*, qui propterea cum Pomeraniæ Ducibus belligerabant, & *Danis*, quibus Rex *Christophorus* Ann. 1322. illam asseruerat (vid. *Hofmannus* in Lexic. h. v. ubi plura quoque de plantata Christiana Religione in *Rugia*, & *Joh. Isaac. Pontan.* Rer. *Danic.* Histor. lib. VII. pag. 446.) ex pacto mutuæ Successionis pridem facto, ad *Wartislaum* IV. Ducem *Pomeraniæ*, victo *Dano*, delatus est. Inde in illa Familia mansit ad extremum

Principatus *Rugiæ.*

usque, & plerunque cum *Wolgastensi* Principatu eundem Ducem, aliquando tamen etiam peculiarem, habuit. vid. D. *Spenerus* in Historia Insignium Illustrium lib. 1. cap. 13. §. 36. & lib. 2. cap. 95. §. 26. *Henninges* in Genealog. *Rugiæ* Principum p. 320. ubi scribit, his sine liberis defunctis, *Sundenses* post diuturna Ducum *Pomeraniæ*, & vicinorum Principum *Megapolensium*, ac *Herulorum*, de continentis *Rugiæ* ditionibus, *Barthensi*, *Tribulensi*, *Grimmensi* &c. bella, tandem *Pomeraniæ* Ducibus se, privilegiis & immunitatibus salvis, adjunxisse, & *Wartislao* IV. homagium præstitisse. Addatur his *David Chytræus* in Chronic. *Saxoniæ* lib. 5. pag. 154. 155. ubi etiam qualiter Principatus *Rugiæ* ad Ducatum *Pomeraniæ* pervenerit, ostendit. Catalogus Ducum *Meclaburgensium*, qui ex *Rugorum*, *Herulorumque* posteritate orti sunt, vid. apud *Lazium* l. c. pag. 819. Addatur D. *Speneri* Sylloge Genealogico-Historica p. 701. in Familia *Vandalica*, in qua *Reges Herulorum*, Principes *Vandaliæ*, Duces *Megapolitani*, nec non *Pomeraniæ*, & Principes *Rugiæ*. *Pfannerus* de præcipuis *Germaniæ* Principum *Gentibus* 1. cap. VI. Author Notitiæ *S. Rom. Germ.* Imp. Procerum l. IV. c. 5. §. 1. & Excell. Dn. *Georgii Grenii* Insula *Rugia*.

XXV.

Sibini.

Sibini præterea, Σιβινοί, Σίβινοι, *Germaniæ* Gens apud *Strabonem* lib. VII. Geograph. *Crusio* quoque & *Ortelio* memorata, quam *Marobodus Suevorum* Rex suo Regno subjecit. Vix ultra nomen amplius nota. *Hofmannus* populum *Suevis* conterminum facit ex *Strabone*. *Sidenos* autem vel *Sidinos* male cum *Sidonibus*, vel *Sitonibus*, apud quos fœminæ dominabantur, confundit *Crusius* l. c. qui circa *Stetinum*, vel in *Oppolensi* Ducatu illos ponit. A *Willichio* quoque, *Peucero*, & *Wolffgango Justo*, non refragante *Ortelio*, ponuntur in Stetiner-Land. *Cluverius* in *German. Ant.* lib. 3. cap. 35. p. 145. quia *Sidinorum Carinorumque* post *Plinium Ptolemæumque* nulla apud auctores fiat mentio, in alius cujusdam Gentis nomen hos expeditione suscepta transiisse, credibile esse scribit, creditque ipse in *Burgundionum* corpus illos transiisse, quia hi, cum *Taciti* ævo fuissent exigua atque humili civitate, postmodum ingenti multitudine in *Galliam* effusi sint;

Sidones. Sideni.

pars

pars etiam cum *Gothis* in *Sarmatiam* ac *Daciam.* vid. de his *Disputatio* prior hujus Argumenti, Thes. xxv. Idem *Cluverius* l. c. quoque eosdem facit populos *Sibinos* & *Sidinos:* cum enim apud *Strabonem* cuncta ferme *Germanicarum* Gentium vocabula sint pessimum in modum corrupta, illud etiam Σιβίνες non prætulerim, inquit, *Ptolemæi* Σιδῖνοι. Hos autem *Rugiis* conterminos facit a meridie, eodem inter *Vistulam Suevumque* situ: quibus finibus hodie continetur *Marchiæ* pars, item *Pomeraniæ* portio. Plura de illorum termino vid. l. c. & apud *Hofmannum* in Lexico h. v.

XXVI.

Suardones.

Suardones Germaniæ Populi authore *Tacito*, *Crusio* teste in *Pomerania* habitasse perhibentur, & postea ad Nigram Sylvam (*Hercyniam* scilicet, vid. tamen de utraque genuina Sylvæ hujus appellatione *Cluver.* l. c. lib. 3. c. 47.) se contulisse. Aliis, teste *Altbamero*, conjectantur *Misniam* tenuisse. Aliis, & hos inter *Gemmæ Frisio*, contrarium quidem sentiente *Hofmanno*, circa *Suerinum* in Ducatu *Megapolitano* ponuntur. *Albinus* in Chronic. *Misn.* Tit. III. *Erasmum Stellam* in Commentario, de Populis & rebus priscis oræ inter *Albim* & *Salam Germaniæ* flumina, taxat, quod ille *Sorbos* a *Suardonibus* derivet. Idem *Albinus* l. c. Tit. IV. pag. 47. *Suardones* refert ad *Suevos* Aquilonares, cum *Eudosis*, & *Varinis*, distinctos a *Suevis* Australibus, quales erant *Hermunduri*: putatque Author ille, *Suardones Taciti*, a *Ptolemæo*, qui sæpe vocabula *Germanica* corrumpere & confundere solet, vocari *Pharodænos*, vel *Pharodinos:* in quo ipsi *Albino* accedit *Peucerus*, & non longe recedit *Ortelius* in Thes. Geograph. Neque vero *Albinus Suardones Misnia* excludit, qui veteres inde *Suevos* expulerint, cæterum antiqui *Germani*, non novi *Vandali* accolæ aut *Slavi*, ut male creduntur *Brotuffio* in Chronico *Misniæ*, *Erasmo Stellæ*, *Garzoni*, & *Krausio*, fuerint. *Cluverius* in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 27. p. 107. *Suardones* (quos apud *Ptolemæum* mendose legi credit Φαροδινὲς pro Σφαρδινὲς) *Suevo* flumine, mari *Suevico*, *Eudosum*, *Varinorum*, *Cavionumque* confiniis cingit, illo terrarum tractu, quo hodie *Pomeraniæ* pars, cum oppidis *Stettin*, *Ukemünde*, & *Usedom*, cum *Meckelburgiensis* Ducatus portione inter *Tullium*

 lacum,

Comites Schwarzenburgici.

lacum, & fluvium *Havelam*, continetur. Quod autem *Crusius* conjecturatur a *Suardonibus* Comites *Schwarzenburgenses*, & Barones *Schwarzenbergios*, nomina habere, vix certo fundamento nititur. Quod enim istos attinet, *Witekindus*, qui in sacro lavacro *Caroli* nomine insignitus, primus Comes *Schwarzeburgius* Anno *Christi* 832. obiit, arci in saltu *Thuringico* ad *Salam*, & fl. *Schwarze* a semet exstructæ id nominis indidit, ut testatur *Elias Reusnerus* in Opere Genealogico Catholico, pag. 40. ejusd. Auctar. apud quem, ut & *Henningium* in Genealogiis pag. 323. & seqq. plura videri possunt de Illustrissima Comitum *Schwarzenburgicorum* Familia, ut & apud D. *Spenerum* in Historia Insignium Illustrium lib. 3. cap. 34. & *Authorem* nuperum Notitiæ Historico-Heraldico Genealogicæ *S. Rom. Germanici* Imperii Procerum, ubi de Origine *Schwarzburgicorum* Comitum (quæ eadem a multis creditur cum Comitibus *Gleichensibus*) *Henningii*, *Reusneri*, sed & D. *Speneri* opinionem cum recitasset, subjicit, quod alii illos a priscis Comitibus de *Kevernburg*, a Castro hujus nominis, cujus rudera prope civitatem *Arnstad* adhuc visuntur, sic dictis, derivare ament: atque ex illis quendam extructa arce *Schwarzburg*, a novo domicilio nomen mutuasse perhiberi: cui sententiæ inde robur addi soleat, quod *Kevernburgenses* iisdem insignibus usi fuerint, quæ nunc *Schwarzburgici* gestant, aureo scilicet Leone, in scuto cœruleo. *Kevernburgensium* porro originem vel a *Gothis*, vel a *Gallis*, & quidem a *Lotharii* Regis filio sexto *Gundaro*, sive *Gunthero*, quosdam arcessere. His autem bene prælaudatus Author præmittit, Familiæ *Schwarzburgicæ* Origines, uti pleratumque Illustrium in *Germania* Stirpium, incertas atque obscuras esse, quod ruditati vel simplicitati illorum Seculorum, in quæ prima Imperii *Germanici* tempora inciderint, tribuendum sit: utpote quibus frigente literatura optimus ac præstantissimus quisque facere quam dicere, gladium vibrare, quam stylum prehendere, maluerit: Dum itaque, quoties de primis clarorum Familiarum incunabulis agitur, traditiones ac opiniones regnant, diversæ utplurimum sententiæ emerserint, id in *Schwarzburgica* quoque usu venisse? Nec melius favet *Suardonum* nomen origini alterius Illustrissimæ per *Franconiam* Familiæ *Schwarzenbergicæ*, quæ ad

Familia Schwarzenbergica,

Sains-

Sainsheimios refert sua primordia, Illustris Nobilitatis olim in *Franconia* Equites, qui antiquissimi Provinciæ ejus habiti: & quorum Genealogiam legas apud *Bucelinum* in *German.* Tom. IV. p. 254. Ex illis autem *Michael* genuit *Erckingerum* primum *Schwarzenbergium* Baronem S. Rom. Imperii Anno 1417. ab Imperatore *Sigismundo*, Procerum assensu creatum, cujus abnepos *Joannes* primus Comes *Schwarzenbergius* cum fratribus & patruelibus creatus est ab Imp. *Maximiliano* II. Anno 1566. Et ex hac gente natus quoque fuit *Adolfus* Comes *Schwarzenbergius*, *Turcarum* terror, *Viennæ* Gubernator, & *Javarini* expugnator: Pater *Adami* Comitis *Schwarzenbergici* Magistri Ordinis *Johannitici*, *Ferdinando* II. Imp. acceptissimi & gratissimi: Avus *Joannis Adolfi* primi in Familia sua Principis *Schwarzenbergici*, S. Cæsareæ Majestatis Consiliarii Intimi, & Consilii Imperialis Aulici Præsidis: qui Cato in foro, Cicero in rostris, Fabius in armis, Patriæ providus, sui prodigus, anno superiori *Laxenburgi* in vivis esse desiit, filium & Principalis Dignitatis Ditionumque hæredem relinquens Serenissimum *Ferdinandum Wilhelmum Eusebium*, S. R. Imperii Principem in *Schwarzenberg*, S. Cæsareæ Majestatis Camerarium, & Consiliarium Aulico Imperialem. vid. plura apud D. *Spenerum* in Historia Insignium Illustrium lib. 2. cap. 85. *Authorem* supra citatum Notitiæ Historico-Heraldico-Genealogicæ *S. Rom. German. Imperii* Procerum lib. 5. cap. 10.

in *Franconia.*

XXVII.

Teutonoari, Τευτόναροι *Crusio* l. c. collocantur, ubi *Rostochium*, & *Wismaria*: *Ortelio* ad dextram *Albis* fluminis versus Boream. *Ptolemæo* Gens hæc *Germaniæ* inter *Pharodinos* & *Suevos* vicina *Teutonibus* dicitur, populis *Germaniæ* ad Mare *Germanicum*, qui ab omnibus auctoribus cum *Cimbris* in *Fionia* & *Selandia* junguntur: **Teutsche** patria lingua Authores interpretantur, quos *Ortelius* (qui vid. in Thesauro Geograph. h. v) *Osterlingos* proprie hodie putat. vid. de vera Gentis & nominis pariter *Theutiscorum* origine *Cluver.* in *Germ. Ant.* lib. 1 cap. 9. & 26. & lib. 3. cap. 34. circa fin. & cap. 40. ubi de Insulis Sinus *Codani*, quarum Incolæ *Teutoni*, *Godani*, *Codani* ac *Dani*. Non possumus

Teutonoari.

Teutones.

Teutsche.

hic omittere ea quæ *Hofmannus* in Lexico h. v. notat, *Teutones* & *Germanos* non esse eosdem, sicut neque *Alemanni* & *Germani*: quanquam hodie omnes Germani *Teutones* vocentur. Horum linguam, vulgo *Teutonicam* seu *Celticam*, Boreales *Europæ* partes, sicut *Latina* Occidentales, *Slavonica* Orientales, & *Græca* Australes, occupasse, latissime diffusam: cujus dialecti sint, vel remotiores, quales *Islandica*, *Norvegica*, *Danica*, *Suecica*, *Anglica*, *Scotica*, *Hibernica*, *Wallica*, *Gothica*, quæ superest in *Taurica* Chersoneso: vel propiores, ut *Teutisca*, seu vetus *Saxonica*, vel *Theotisca*, seu *Francica*, die Hoch-Teutsche. Illam originarii genii magis tenacem, subdivisam esse in idiomata varia: *Belgicum*, seu *Hollandicum*, *Brabanticum*, *Frisicum*, *Westphalicum*, & *Brunsvicense*, seu inferius *Saxonicum* proprie dictum, *Holsaticum*, *Meckelburgicum*, *Pomeranicum*, *Marchicum*, *Borussicum*, *Livonicum*, & *Saxonum* veterum in *Transsylvania*: Istam successu temporis expolitam habere suas iterum dialectos: *Austriacam*, *Helveticam*, *Bavaricam*, *Franconicam*, *Suevicam*, *Misnicam*, *Thuringicam*, *Hassiacam*, & *Silesiacam*. Hæc *Hofmannus* ex *Schottelio*, horum intelligentissimo: addens ex *Becmanno*, nec vulgari in his authore, matricis *Teutonicæ* propagines præcipuas esse dialectos, *Francicam* in Superiore *Germania*, *Saxonicam*, cujus subdialecti in *Germania* Inferiore, *Belgio*, & *Anglia*, quæ postrema iterum *Anglicismum*, & *Scotismum* genuerit, & *Danicam*, cujus iterum tria sint discrimina, *Danorum* limitaneorum, quos *Dennemarckos* vocant, *Suedorum*, & *Norvegorum*: a quorum idiomate *Islandica* hodierna profluat, quam ita *Norvegi* intelligant, ut linguam Belgicam Germani.

XXVIII.

Varini. Viruni.

Varinos, vel *Virunos Crusius* propter *Rostochium* quoque & *Wismariam* ponit, nomenque ab eis in *Sueviam* migratione facta, *Veringensi* Comitatui natum esse ex *Spangenbergero* conjecturatur. *Willichius* hos *Germaniæ* populos, *Tacito* quoque & *Plinio* memoratos, putat Novam Marchiam *Brandenburgicam* incoluisse: *Althammerus* vero, & *Stanislaus Sarnitius* in Geographia *Sarmatiæ*, censent illos *Warmiensi* urbi Episcopali in *Prussia*, ubi *Phil. Melanchthon* quoque in Chronic. p. 303. *Varinos* ponit, nomen

men reliquisse. Sed negat hoc, & *Varinos Porussia* excludit Dn. *Hartknochius* part. 1. cap. 1. pag. 35. & 36. *Porussiæ* antiquæ & novæ. *Lazius* hos in *Rhætiam* ducit, & **Veringen** quoque interpretatur, Genealogiamque Comitum a *Veringen* in *Suevia Rhætica*, ex quorum Familia fuit *Hermannus* Contractus, Chronographus sui temporis circa Annum 1066, Poeta item & Astronomus celeberrimus, adducit lib. VIII. de Migrat. Gent. pag. 533. 534. *Cluverius* (cui adstipulantur quoque *Baudrandus*, *Brietius*, *Hartknochius*, *Hofmannus*) in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 27. *Varinos* hos dictos in antiquis legibus *Werinos* notat, & eosdem facit cum *Procopii Varnis*, & *Ptolemæi Virunis*, illis finibus olim inclusos, ubi hodie *Meckelburgiensis* Ducatus pars, qua oppida *Rostock*, & *Gusterow*, itemque *Pomeraniæ* exigua portio, inter duos amnes, *Reconitium*, & *Baritium*: horumque *Varinorum* nomen ibi etiam nunc manere in flumine *Warne* quod *Rostochium* alluit, item in oppido *Waren Munitio* lacui adposito, *Ptolemæo Virunorum Virunum* dicto, censet idem *Cluverius* l. c. ubi ex *Tacito Varinos* hos quoque jungit *Deuringis*, *Cavionibus*, *Anglis*, *Eudosibus*, *Suardonibus* & *Nuithonibus Suevis*, qui unum inter se corpus olim constituerunt. Nec dum ergo certo fundamento constant, quæ *Crusius* & *Lazius* de *Veringensi* Comitatu a *Varinis* derivando autumant. De illo autem Comitatu plura vid. apud D. *Spenerum* in Historia Familiarum Illustrium lib. 2. cap. 117. apud Principes & Comites de *Zollern*.

Comites a *Veringen* in *Suevia Rhætica*.

De *Zumis* autem quos *Crusius* quoque in sæpe citato opere ultimo loco allegavit, nihil amplius, quam hoc, ex *Strabonis* libro VII. Geograph. constat, quod inter Germaniæ gentes quoque a *Maroboduo* Rege *Suevorum* subacti sint.

Zumi.

XXIX.

Has & recensitas alias *Suevorum* Gentes ab antiquo Reges suos habuisse certum est, & probatum jam in priori *Disputatione*. An vero *Germani* Duces prius quam Reges habuerint, non disputabimus cum *Casp. Lerchio*, de Ord. Equestr. *Germ.* p. 32. n. 63. Sane Duces initio Comitesque a Regibus præfectos Gentibus Civitatibusque *Paulus Aemilius* scribit lib. 1. Histor. & licet Ducis officium infe-

Ariovistus, *Suevorum* Rex.

inferius Regio fuerit, fatemur tamen Reges *Germanorum* fuisse quandoque supremos Duces Exercituum, & Ducem pro Rege interdum nominatum: nec in eo recedimus a *Lerchio* l.c. p. 33. num. 69. Inter hos Reges autem inclaruit ille, ad quem nos ordinis ratio jam ducit, circa prima Monarchiæ *Romanæ* sub *Julio Cæsare* cœptæ initia, vel potius jam sub finem Reipublicæ *Romanæ* liberæ, ARIOVISTUS *Germanorum* & *Suevorum* Rex, nostra lingua Ernst/ vel juxta alios Ehrenvest/ ab honoris robore, qui anno ante *Christum* natum, LVI. una æstate duo maxima bella confecit *Helveticum*, & *Germanicum*, de quibus ipse *Cæsar* copiose lib. I. Belli *Gallici*. *Plutarch*. in *Cæsare*, ac *Dio Cassius* lib. 38. scribunt. Hujus *Ariovisti* Regnum in *Germania* eosdem habuisse fines, quos ante *Helvetii*, scribit *Phil. Cluv.* in *G. Ant.* lib. 3. c. 3. p. 6. *Suevi* autem fuerunt cum *Ariovisto*, primo Regum *Germanorum* propter bellicas virtutes Amico Populi *Romani* a Senatu salutato, magna primum clade a *Cajo Jul. Cæsare* affecti cum *Helvetiis* ad *Ararim* fluvium. Unde hi domũ reversi instaurarunt postea sua oppida *Soloturium*, *Aventicum*, *Tigurum*. *Romani* autem post hæc stativa & hyberna in *Helvetiis* habuerunt, & horum opera usi sunt in secutis temporibus contra ipsos *Suevos*: contra quos *Julius Cæsar* paraverat *Agaunum*, hodie S. Moritzen. Sæpe denique ex *Helvetiis* in *Suevos Romani* invaserunt: videatur *Stumpff*. in Chron. *Helvetiæ* lib. 4. cap. 19. *Crusius* in Annalibus *Sueviæ* l. c. lib. 2. cap. 6. juxta quem vicit *Ariovistus* prælio *Gallorum* copias *Amagetobriæ*, quæ *Montbelliardum*, aut *Masiere* putatur. Tunc autem adeo infeliciter cum *Ariovisto* dimicavit *Cæsar*, ut alias majore nunquam periculo, ac milite minus audaci nunquam: in quo exercitu præcipua *Suevorum* virtus enituit, si *Eutropio* credimus. *Cluverius* autem in *Germ. Antiq.* lib. 2. cap. 8. pag. 31. locum *Magetobrigæ* non putat investigari posse. Deinde primo *Cæsaris* in *Gallia* Pro-Consulatus anno ad ipsum querela pervenit *Divitiaci Hedui* de *Ariovisto*, qui *Heduos* socios & hospites Populi *Romani* vicit, & *Sequanorum* agrum invasit ac occupavit. Habuit autem rationem *Ariovisti Cæsar*, qui Consul Regem illum antea inter Amicos Sociosque Populi *Romani* adscripsit, & illum maluit beneficio & autoritate sua quam vi commovere. Cum autem *Cæsar* periculosum

Bellumque contra illum & *Helvetios Germanosq́*; *Caji Iul. Cæsaris*.

Helvetiorũ Clades a *Cajo Iul. Cæsare* illata.

Agaunum. S. Moritz.

Amagetobria, *Monpelgard*.

Divitiaci de *Ariovisto* querela ad *Caj. Iul. Cæsarem*.

losum videret *Germanos* sub *Ariovisto Rhenum* transire, & in *Galliam* magna multitudine venire, metuens, ne cum omnem *Galliam* occupassent, inde in *Italiam* quoque, *Cimbrorum Teutonumque* exemplo, contendant: hinc Legatis ad *Ariovistum* missis, postulavit *Cæsar*, ut aliquem locum medium utriusque colloquio deligeret: velle se de Republica, & summis utriusque rebus cum eo agere. Cui Legationi inter alia respondit *Ariovistus*: Si quid ipsi a *Cæsare* opus esset, sese ad illum venturum fuisse: si quid ille a se velit, illum ad se venire oportere: sibi mirum quoque videri, quid in sua *Gallia*, quam bello vicisset, aut *Cæsari*, aut omnino Populo *Romano* negotii esset. His ad *Cæsarem* relatis, ipse iterum Legatos misit, quibus hæc ab *Ariovisto* postulavit: Primum, ne quam multitudinem hominum amplius trans *Rhenum* in *Galliam* traduceret: deinde obsides, quos ab *Heduis* haberet, redderet, nec hos sociosque eorum injuria lacesseret. Respondit *Ariovistus:* Si ipse Populo *Romano* non præscriberet, quemadmodum suo jure uteretur: non oportere se a Populo *Romano* in suo jure impediri: se postulata *Cæsaris* non facturum: Si hic bellum facturus esset, intellecturum, quid invicti *Germani*, exercitatissimi in armis, qui intra annos XIV. tectum non subiissent, virtute possent. Cum hæc *Cæsari* referuntur, Legati venerunt ab *Heduis* & *Treviris:* quorum illi querebantur de *Harudum* in se injuriis: hi autem, pagos centum *Suevorum* ad *Rhenum* consedisse, qui fluvium hunc transire conarentur, & quibus præsint *Nasua* & *Cimberius*, fratres. Quibus rebus vehementer commotus *Cæsar*, maturandum sibi existimavit, ne, si nova manus *Suevorum* cum veteribus copiis *Ariovisti* sese conjunxisset, minus facile resisti posset. Itaque magnis itineribus ad *Ariovistum* contendit: quem cum nunciaretur ad occupandum *Vesontionem* (oppidum maximorum *Sequanorum*, olim *Chrysopolis*, hodie *Besançon* dictum) contendere, id *Cæsar* magnis itineribus contendens, prior occupavit, ibique præsidium collocavit. Invasit autem tunc magnus terror *Romanorum* milites, ob *Germanorum* adventum, ut vulgo totis castris testamenta obsignarentur, & *Cæsar* consolari suos necesse habuerit: cum quo *Ariovistus* quidem colloquium habuit. Atque sic *Gallos*, sic *Romanos* tunc conterruerat *Germanorum* virtus! exclamat *Franciscus*

Cæsaris Legatio ad *Ariovistum.*

Ariovisti *Germanorũ* Regis Responsum.

Altera legatio *Cæsaris.*

Alterum superbum *Ariovisti* responsum.

Harudes Suevi.

Provisio *Cæsaris.*

Romanorũ militum terror ob *Germanorum* adventum.

Colloquiũ inter *Ariovistum* &

Caj. Iul. Cæsarem.

Res ad bellum pervenit.

Gentes *Germanicæ* in exercitu *Ariovisti* Regis.

Prælium inter *Germanos* & *Romanos.*

Germanorum Fuga & clades.

S. Apollinaris Monasterium.

Vxores & Filiæ *Ariovisti.*

Carolus Dux *Saxoniæ* in Oratione pro *Germania* pag. 105. inter *Lansianas* Consultationes. Sed devenit tamen res ad bellum, ad quod *Cæsar* triplici acie instructus accessit. Educebant quoque *Germani* copias suas ex castris, & consistebat quæque gens seorsim paribus intervallis: nempe *Harudes* (qui *Bodanici* & *Constantienses* creduntur, *Marcomanni (Moravi) Triboci*, (*Argentoratenses* & *Alsatæ*) *Vangiones* (*Wormatienses*) *Nemetes* (*Spirenses*) *Sedusii* (*Vallesiani*) *Suevi*, & alii. Tum inceptum est prælium acerrimum inter *Romanos* & *Germanos*, his tandem cæsis & fugatis, ad *Rhenum*: quem *Ariovistus*, naviculam deligatam ad ripam nactus, ipse trajecit. Occisorum numerum *Plutarchus* & *Appianus* 80000 perhibent, a quo *Appiano Germani* scribuntur fuisse mortis contemptores spe revivisc entiæ. Ita tot tantarumque Gentium Rex, & totius fere *Galliæ Celticæ* modo Dominus, uno prælio a *Cæsare* fusus, *Galliaque* pulsus est. Putatur hæc pugna, scribente *Beat. Rhenano* lib. 1. Rer. *German.* ad D. *Apollinaris* facta Monasterium, quod uno milliario *Germanico* distat a *Rheno* & *Basilea*. *Cluverius* in *Germ. Antiq.* lib. 2. cap. 8. p. 31. vicum esse hodie scribit in *Burgundiæ* Comitatu vulgari vocabulo *Dampierre*, quinque millibus passuum infra oppidum *Montbelliard* situm, ad confluentem *Dubis* & *Allii* amnis, in *Rauracorum* confinio, ex monte *Vosego* profluentis: qui locus egregie omnibus partibus in prælium illud *Ariovistinum* conveniat. Cum duabus autem Filiabus *Ariovisti* utraque quoque illius conjux in ista fuga interiit: quarum una *Sueva* natione, quam domo secum adduxerat: altera *Norica*, Regis *Voccionis* soror, quam in *Gallia* duxerat, a fratre missam. Hoc prælio trans *Rhenum* nuntiato, *Suevi*, qui ad ripas *Rheni* venerant, quique inferiorem etiam inhabitabant *Germaniam*, domum reverti cœperunt: quos *Ubii* perterritos insecuti magnum ex his numerum occiderunt. vid. præter Cæsarem in Comm. *Bell. Gall. Florus* lib. 3. cap. 20. *Orosius* lib. 6. c. 6. *Plutarchus* in vita *Cæsaris*, *Eusebius* in Temporibus. *Stumpffius* in Chronic. *Helvet. Münster.* lib. 3. Cosmograph. p. 277. & 278. *Naucler.* vol. 1. pag. 354. seqq. & vol. 2. pag. 848. 849. seqq. Mors etiam Regis *Ariovisti*, quæ incidit in Annum *Romæ* conditæ DCC. ante *Christum* natum LII. memoratur *Julio*

lio *Cæsari* lib. 5. Bell. *Gall.* ubi magno fuisse ait *Germanis* dolori *Ariovisti* mortem, & superiores *Romanorum* victorias: ibi tamen pro voce *mortem* mavult *Cluver.* in *Germania Antiq.* lib. 3. cap. 3. pag. 7. legere *sortem*. vid. plura l. c. apud eundem, & *Lebmann.* in Chron. *Spir.* l. 1. c. 3. vid. Historia quoq; *Ariovisti* Comico socco induta in Comœdia *Nicodemi Frischlini*, magni illius Poetæ & Oratoris in Academia *Tubingensi*, cui nomen, *Helvetio-Germani*.

Mors Ariovisti.

XXX.

Circa hæc tempora occurrunt quoque *Indi* in *Suevia*, quos *Cornelius Nepos* de Septentrionali circuitu, teste *Plinio* lib. 2. cap. 67. & *Pomp. Mela* tradit, Q. *Metello* Celeri, C. *Arranii* in Consulatu (ante *Christum* natum anno LVIII.) Collegæ, sed tum *Galliæ* ProConsuli, a Rege *Suevorum* dono datos: quique ex *India* commercii causa navigantes, tempestatibus essent in *Germaniam* abrepti: Regem autem hunc sine dubio fuisse *Ariovistum*, ut virum potentem & clarum, tali munere, & aliis, se *Romanis* insinuantem, ut ab eis Regis & Amici titulum consequeretur, scribit *Crusius* l. c. cap. 6. pag. 40. Hinc autem probe patere dicit *Naucler.* vol. 2. pag. 849. quanta ditio fuerit *Suevici* Regis, cujus maritimi commeatus fuerint. Anno vero ante natum *Christum* LIII. *Cæsar*, ut *Germanos* facile in *Galliam* transire solitos terreret, ponte in *Rheno*, non procul infra *Coloniam Arippinensem* facto, cum Exercitu in *Germaniam* transiit, ibique igne ferroque multa vastans, cum audiret *Suevos* in armis esse, diebus XVIII. trans *Rhenum* consumptis, se in *Galliam* recepit, ponte resciſſo: plus scilicet tentare non ausus. Biennio post iterum pontem fecit, & contra *Suevos* Exercitum duxit, a quibus se magnis copiis coactis exspectari ut cognovit, Exercitum reduxit. Sed ne omnino illis metum reditus sui tolleret, non totum pontem, sed ultimam ejus partem rescidit, ibique turri constituta præsidium validum reliquit. Qualem igitur opinionem de *Suevis*, quibus ne Dii immortales quidem pares esse possint, habuerit etiam *Julius Cæsar*, ipse satis ostendit in suis Commentariis: qui etsi laturus auxilium *Ubijs* bis *Rhenum* transiverit, resque maximas in *Germania* gesserit, *Suevorum* tamen Gentem indomitam reliquit. Et licet *Eutropius* scribat *Cæsa-*

Indi in Suevia,

Pons in *Rheno*, non procul a *Colonia Agrippinensi* a *Cajo Iulio Cæsare* exstructus.

***Cæsaris* Fuga ex *Germania*.**

rem Rheno transmisso *Suevos* superasse, plus tamen credendum *Cæsari*, qui manu sua rem gestam describens, nil plus refert, nisi quod postquam per *Ubios* exploratores comperit *Suevos* ad initium Sylvæ *Bacenis* cum omnibus copiis exspectare adventum *Romanorum* in Sylvis, constituerit non progredi longius, nec manum cum *Suevis* conserere. vid. *Naucler*. vol. 2. pag. 249. Cum *Germanis* autem *Suevos*, jam pro *Romanis*, jam contra hos bella gessisse, & *Mithridati* quoque militasse, *Crusius* l. c. cap. 7. asserit & colligit. Hisque usum etiam *Julium Cæsarem* ad subigendam *Galliam*, constat ex ipso *Cæsare* lib. 1. Bell. *Gallici*, ubi *Germanorum* & *Suevorum* pedites velocissimos & fortissimos appellat: Adeoque hos etiam Imperii *Romani* per *Julium Cæsarem* condendi, dum illi in *Pharsalo* contra *Pompejum*, & in *Philippicis* campis præcipuo auxilio adfuerunt, adjutores fuisse, haud dubitat referre *Crusius* l. c. Post natum vero *Christum*, ut multa sunt a *Romanis* acta, cum *Suevis* præcipue, quoties est in *Germania* decertatum: ita hi triumphati magis sunt quam victi, ut *Tacitus* ait: mansitque *Germana* natio post *Romanam* magnitudinem secunda in terris, & ipsa totius orbis Imperium præsumens, fatente *Nazario* ad *Constantinum*.

Germani & *Suevi* jam pro *Romanis*, jam contra eosdem.

XXXI.

Præterea in Catalogo Regum *Suevorum*, *Lazius* de Migrat. Gent. lib. 8. pag. 478. ponit CYMERIUM, & NASUAM, qui *Suevis* ad *Rhenum* præfuerunt, & quorum *Cæsar* meminit lib. 1. *Gall*. Hist. c. 37. 39. Quemadmodum autem *Lazius* l. c. a *Cymerio* isto incertam originem trahit Comitum notissimorum *Suevia* a *Cymern*: ita nonnulli Illustrissimam *Nassoviorum* Gentem, nescio quo fundamento, ab isto *Nasua* Duce *Suevorum*, qui cum fratre *Cymerio* in *Gallias* excurrit, & primo belli *Gallici* anno centum *Suevorum* pagos ad *Rheni* ripas præsidio adduxit *Sequanis*, deducunt: unde *Frischlinus* Seculi sui Poeta, paulo ante citatus:

Cymerius & *Nasua*.

Familia *Nassovia*.

> *At Nassovæum vivit adhuc decus*
> *Surgens Adolfo Cæsare, & ultimo*
> *A Nasua, qui olim secutus*
> *Te fuit Arioviste Teuto.*

Quod autem *Cajus Julius Cæsar* victo *Ariovisto Nasuam* istum,

Præ-

Præfectum *Rheni* apud *Confluentes* constituerit: hinc postea Comites *Nassovios* Hæreditarios Advocatos, id est, Defensores & Protectores *Rheni* (Erb-Vögte deß Rheins) appellatos, asserere audent. vid. *Joann. Textoris* Nassauische Chronick / pag. 34. 35. *Christoph. Brower.* in Annal. & Antiquit. *Trevirensib.* lib. 1. pag. 113. Digniss. Dn. D. *Spenerus* Insign. Illustr. Parte Special. lib. 3. cap. 26. §. 1. pag. 620. Author Notitiæ *S. Rom. Germ.* Imperii Procerum lib. 5. cap. 1. *Hofmannus* in Lexic. Univers. Continuat. v. *Nassovia.*

XXXII.

Ingevon.

Post *Cymerium* autem & *Nasuam* Lazio l. cit. ponitur INGEWON, incertum tamen an Rex, an Princeps *Suevorum*; (quæ nomina quidem olim sæpe permixta) cujus *Tacitus* quoque mentionem facit lib. 2. Histor. Qui vero post *Cymerium* & *Nasuam Suevis* ad *Rhenum* præfuerint, usque ad *Constantini Magni* ætatem, Seculorum trium intervallo, nondum se deprehendisse ait *Lazius* l. cit. pag. 480. Sub Imperio autem *Caji Cæsaris Octaviani Augusti* missi contra *Germanos* & *Suevos* fuerunt *Lollius*, *Drusus*, & *Tiberius*, Duces *Romanorum*, ex quibus *Drusus Suevos* & *Sicambros* pariter aggressus, *Rheni Danubiique* ripas propugnaculis & præsidiis in tutelam Provinciarum munivit: quod & alii post *Octavianum Augustum* Imperatores fecerunt. Sequentibus temporibus vero illæ munitiones a *Germanis* & *Suevis* expugnatæ, aut destructæ sunt, aut in oppida & urbes conversæ. Isto autem tempore *Nördlingæ* Imperialis hodie civitatis fundamenta a *Claudio Tiberio Nerone* jacta dicuntur, in monte primum ubi ipse castra habuit, *S. Haimerano* deinceps sacro: in quo ipso Protestantes Imperii Principes Anno superioris Seculi XLVI. castra sua contra *Carolum* V. Imperatorem posuerunt. vid. *Crusius* l. c. cap. 9. & lib. 4. cap. 3. & in Paralip. c. 17. pag. 68. *Reusnerus* de Urbib. Imp. part. 2. cap. 5. *Knipschild.* de Civ. Imp. 1. 37. ibi: *Nordlinga vulgo a Cl. Tib. Nerone sic dicta censetur, qui sub Octavio Augusto Cæsare summus Dux, & exercitus Rom. Imperator adversus Germanos, pulcherrimo Rhetiæ loco sibi castra faciens, nova Civitatis novæ fundamenta primus posuit, eamque suo nomine, sicuti etiam Noribergam, in sempiter-*

Germanorum & *Suevorum* res gestæ sub Imperio *C. Cæsaris Octaviani Augusti*: & *Romanorum* Duces contra illos missi *Lollius*, *Drusus*, *Tiberius*.

Ripæ *Rheni* & *Danubii* a *Romanis* munitæ.

Nordlinga Civitas a quo fundata.

nam rei memoriam cognominavit Nerolingen. Et paulo post: *Primus locus sive sedes Civitatis fuisse fertur in colle S. Emerani, in quo adhuc vetus templum conspicitur; postea ob aquandi difficultatem sub infima collis ejus radice in planitiem ad ripam Egræ constructa est, qui amnis in oppidum derivatus, hodie etiam ipse interluit.* De *Emmerammo* Episcopo plura vid. ap. *Velser*. Rer. *Boic*. l. 4. p. 119.

XXXIII.

Drusus contra *Rhætos*.

Cum deinde *Rhæti Galliæ* molesti essent, *Tiberium* quoque *Augustus* contra eos misit, qui *Danubianæ* etiam oræ magnam rationem habendam duxit. Tunc uterque *Tiberius* & *Drusus*, *Cæsaris* privigni, pluribus in partibus in *Rhætiam* irruperunt, ac *Tiberius* per Lacum *Acronium*, id est *Bodamicum* & *Brigantinum* (præsertim ubi *Lindavia* est) vectus, *Vindelicos* perterruit: qui inter *Augustam* amnis *Lyci* & *Lindaviam*, interque *Hercyniam* Sylvam & *Danubium* incolebant. Alias *Vindelicia* pro *Bavaria* accipitur: *Vindelicos* autem pugnis navalibus debellans *Tiberius*, contra illos Insula illius Lacus juxta *Lindaviam* sita, tanquam arce belli, usus est. vid. de hoc bello *Horatius* lib. 4. Od. & *Vellej. Paterculus*, *Florus*, *Orosius* lib. 6. Isto autem tempore *Suevi* & *Alemanni Rhætiam* & *Vindeliciam* nondum habitabant, sed demum insecutis temporibus, præsertim sub *Valentiniano* III. Imp. (qui imperavit circa annum *Christi* 430) possederunt, eo a flumine *Albi*, *Bohemia*, & aliis locis profecti. *Suetonius* hanc in rem scribit, *Augustum* submovisse *Germanos* ultra *Albim* fluvium, ex iisque *Suevos* & *Sicambros*, dedentes se (aliquos, non omnes, uti explicat *Crusius* l. c. cap. 9. pag. 45.) traduxisse in *Galliam*, atque in proximis *Rheni* agris collocavisse. Idque fuisse postea Seminarium forte *Suevorum* etiam qui hodie in *Wirtembergia* & *Rhætia* sunt, *Crusius* l. c. opinatur. Duas autem fuisse *Rhætias*, paulo ante monitum est: quarum prima olim a *Lyco* ad Occasum versus: sed cujus pars hodie trans *Danubium* Septentrionem versus, in qua est *Oetinga*, & *Nördlinga*, vocaturque das Rieß: In Secunda *Rhætia* Orientem versus *Vindelici* olim habitabant, hodie *Bavari*. De *Vindelicia* vid. plura apud *Cluverium* in *Germ. Ant.* V. *Velserum* de rebus *Augustanis Vindelicis*, deque Rebus *Boicis*. De *Suevis* autem *Transalbinis*, qui Regionem istam, quam incolebant, eo tempore invaserunt,

Acronius lacus.

Suevorum & *Alemannorũ* sedes.

Sicambri & *Suevi* in colonias, & in *Galliam* traducti.

quo

quo *Saxones* cum *Longobardis* adierunt *Italiam*, & ideo aliis legibus quam *Saxones* utebantur, insignis est locus apud *Witichindum* lib. 1. Annal. ubi *Meibomius* ex auctore Anonymo de Origine *Suevorum* notat, tempore devicti *Herminfridi* Regis *Thuringorum* ultimi *Suevos* profligatis *Thuringis* agrum *Unstro*, sive *Unstruto* fluvio contiguum occupasse, & nemine resistente incoluisse. Fuisse autem vel in Diœcesi *Halberstadiensi*, vel ejus vicinia *Suevos*, ex Antiquitatibus Monasterii *Hamerslebiensis*, & Chronico *Halberstadiensi* Mscr. probat *Meibomius* l. c. ubi etiam qui *Saxoniæ* Principes & alii Ordines *Suevis* annumerentur ex præfatione Auctoris in Speculum *Saxonicum* videndum ait.

XXXIV.

Quoniam autem Castella & propugnacula contra *Germanos*, sui præsertim Imperii tuendi causa, excitare idoneis in locis *Rheni* ac *Danubii* necessarium *Romanis* ibi ad præsidia tuenda videbatur, ideo *Tiberius Tiberiam Augustam*, ad *Danubium*: & *Drusus Drusomagum* ad *Lycum* ædificarunt, quarum illa *Ratisbona* est, hæc *Augusta Vindelicorum* fertur: licet a quibusdam *Memminga* putetur. *Ptolemæus* certe Δρουσόμαγον in *Rhætia* statuit: sed Ἀυγοῦσταν Ὀυενδελικῶν in *Vindelicia*. Hanc Augustam *Aventinus* (cujus tamen auctoritatem de *Vindelico* explodit, & absurdissimam de situ *Augustæ* sententiam dicit *Velserus* in Reb. *Aug. Vind.* l. 1. p. 193. & l. 3. p. 210.) in *Bavaria* ponit, non amplius extantem, hodiernam vero *Augustam Rhætiæ* annumerat, non *Vindeliciæ*. *Augustæ* autem ad honorem Imp. *Augusti* nuncupatæ sunt. *Crusius* l. c. De clade *Romanorum* quam a *Suevis* apud *Augustam Vindeliciam* acceperunt vid. narrationem *Crusii* ex *Urspergensi*, & aliis l. cit. cap. 10. pag. 47. *Romanos* autem *Danubium* & *Rhenum* transgressos, ad *Nicrum* quoque castra & munitiones fecisse, non vane ex signis quibusdam colligit *Crusius* l. c. lib. 3. cap. 3. ut ad *Canstadium Wirtembergiæ*: item ubi *Rhemsus* in *Nicrum* influit, ubi olim antiquum Castrum *Remseck*: & *Mannhaimi*, ubi *Nicrum Rhenus* excipit. vid. nomina munitionum, castrorum, & stativorum, quæ *Romani* contra *Germanos* Trans*Danubianos*, & Trans*Rhenanos* fecerunt apud *Crusium* l. c. ex *Stumpffio*, & aliis: quibus addendus *Freherus*

Castella cõtra *Germanos* ad fluvios *Rhenum*, *Danubium*, & *Nicrum*.

Tiberia Augusta, *Ratisbona*.

Drusomagus, *Augusta Vindelicorum*.

Augustæ diversæ *Vindelica*, & *Rhætica*.

Romanorum clades apud *Augustam Vindeliciam* a *Suevis* illata.

Nicer fluvius *Romanis* cognitus.

berus in Orig. *Palat.* part. 1. cap. 4. & *Heroldus* de Stationibus Legion. in Vet. *German.* cap. 12. Inter alias autem Expeditiones, quas *Tiberius Drusi* frater contra *Germanos* suscepit, etiam illa fuit, qua fracti *Longobardi* (Aquilonares *Suevi*) gens etiam *Germana* feritate ferocior. Incidit hæc Expeditio in annum circiter post natum *Christum*, Nonum, descripta a *Dione Cassio* lib. 55. & *Vellejo Paterculo*, more suo exultante, cum ipse eidem quoque miles interfuerit. vid. *Velser.* Rer. *Boic.* l. 3. p. 90.

Expeditio *Tiberii* contra *Longobardos, Suevos* Aquilonares.

XXXV.

Isto autem tempore, qui in *Germania* accolæ *Albis* fluv. erant *Suevi*, a *Cheruscis* Sylva *Baceni*, quæ hodiè *Thuringica*, de qua vid. *Bertius Rerum German.* Comment. l. 24. quasi nativo muro divisi, de quibus Poeta *Lucanus*,

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis.

transgressi *Albim*, finitimas Regiones, *Lusatiam* & *Bohemiam* incolebant, & hinc *Bojos* ejiciebant, *Marcomanni* proprio nomine dicti: Hi enim *Suevi* genere erant Regem habentes MARO-BODUUM, cujus mentionem faciunt *Tacitus* lib. 2. Hist. *Strabo* lib. 7. Geograph. & quem *Suevorum Marcomannorum* (ubi hodie *Moravia* & *Bohemia* est) Principem appellat *Vellejus Paterculus*, qui istum egregiis laudibus immortalitati consecravit. Regibus autem semper paruisse *Marcomannos* ostendit *Tacitus* de moribus *Germanorum*, scribens: *Marcomannis, Quadisque usque ad nostram memoriam Reges manserunt ex Gente ipsorum; nobile Marobodui & Tudri genus: jam & externos patiuntur. Sed vis & potentia Regibus ex auctoritate Romana, raro armis nostris sæpius pecunia juvantur.* Non modo autem in *Bojohæmo Marcomannos*, sed jam ante in *Rheni* ripa sub Regum imperio egisse probat ex eodem *Tacito* l. c. *Cluverius* in *Germania antiqua* lib. 3. cap. 30. pag. 218. Attamen non supra libertatem regnabantur *Marcomanni*, nec Regibus infinita aut libera potestas, quod etiam notat *Cluverius* l. c. lib. 1. cap. 40. pag. 326. De *Marcomannis* autem requirendi amplius, *Florus* lib. 4. cap. 12. *Volaterran.* lib. 7. *Geograph. Æneas Sylvius* in *Europa* cap. 23. *Albertus Cranzius* in *Vandalia*, *Althammer.* in not. ad *Tacit.* pag. 31.

***Suevi* ejecerunt ex *Bohemia Bojos*.**

His

His igitur imperans Rex *Marobodius*, genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis, ut *Paterculus Romanus* de illo scribit, quam ratione Barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium constantem, inter suos occupavit Principatum, sed certum Imperium, vimque Regiam complexus animo, statuit, avocata procul a *Romanis* gente sua, eo progredi, ubi cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur interioribus locis *Hercyniæ* Sylvæ, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit: Imperiumque suum perpetuis exercitiis pene ad *Romanæ* disciplinæ formam redactum, brevi in eminens & *Romanis* quoque timendum duxit fastigium: quos neque bello lacessebat, & si lacesserentur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi, declarabat. Gentibus porro hominibusq; a *Romano* Imperio descíscentibus erat apud eum perfugium, totumque ex male dissimulato agebat æmulum. Ideo Exercitum, quem 70 millium peditum, & 4000 equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat, operi præparabat. Eratque etiam eo timendus, quod cum *Germaniam* ad lævam & in fronte, *Pannoniam* vero ad dextram, a tergo sedium suarum haberet *Noricos*, tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur: nec securam incrementi sui patiebatur esse *Italiam:* quippe cum a summis Alpium jugis *Italiæ* finem terminantibus initium ejus finium haud multo plus 200. millibus passuum abesset. Hunc *Marobodum* florentissimum Regem diversis e partibus *Tiberius* aggressurus erat: ipse a *Danubio*, *Sentius Saturninus* per *Cattos*, excisis continentibus *Hercyniæ* Sylvis. Sed cum universa *Pannonia* insolens longæ pacis bonis, & adulta viribus *Dalmatia*, omnibus ejus tractus gentibus in societatem adductis, ex constituto arma corripuisset, ibi tum necessaria gloriosis præposita sunt; neque tutum visum, abdito in interiora *Germaniæ* exercitu, vacuam tam vicinis hostibus relinquere *Italiam*. Erat autem *Marobodus* a puero versatus *Romæ:* & ab *Augusto* magnas opes consequebatur: reversus deinde domum, maximum latissimumque Regnum adeptus est. Huc pertinent quæ scribit lib. 7. Geograph. *Strabo*, de *Maroboduo* Rege *Suevorum* tractans: *Reversus autem*

Marobodum Rex ***Suevorum.***

tem

tem, ait, *magnum adeptus est potentatum, & præter eos, quos ante dixi populos, Luios etiam vindicavit, gentem sane permagnam, & Zumos, & Butones, & Mugillones, & ipsam Suevorum nationem amplissimam, Sennones.* De quibus populis vid. sparsim *Phil. Cluver.* in *Germ. Ant.* lib.3. Idem porro *Bubienum* caput *Bojemiæ* & *Suevorum* quondam, *Marobodum* a se cognominavit, quam nunc *Pragam* dicimus: id quod ex *Strabone, Cornelio Tacito,* & *Ptolemæo* diligentissima observatione compertum esse tradunt *Aventinus* lib. 2. Annal. *Bojor.* p.41. *Sansonius,* & *Brietius.* Sed & aliquando Rex *Marobodus,* ad cujus nomen adhuc loca quædam in *Bohemia* alludunt, ut *Budwiza, Budua* &c. magnitudine beneficiorum in fœdus a *Romanis* illectus est. Reddita vero libertate *Germaniæ,* pulsisque *Romanis* ab *Arminio Cheruscorum* Principe, *Marobodui* (ut *Tacitus* scribit) Regis nomen invisum apud populares, *Arminium* pro libertate bellantem favor habebat. Igitur non modo *Cherusci,* sociique eorum, vetus *Arminii* miles, sumpsere bellum, sed e Regno etiam *Marobodui Suevæ* gentes, *Semnones,* & *Longobardi* defecere ad eum. Prius autem *Arminius* ipse congregaverat *Suevos* in agris *Ubiis* vicinis: ut non inanis ea sit conjectura, *Suevos* quoq; extitisse, qui *Varum Quintilium* cum tribus legionibus in saltu *Teutoburgensi* trucidarunt. Nam & *Germanorum* auxilio id *Arminium* fecisse *Tacitus* & *Vellejus* referunt, quod olim nomen cum *Suevis* passim confundebatur: quemadmodum vergente Imperio cum *Francis:* cum & ea postremo gens gloriam universam ad se traxisset, quemadmodum verba sunt *Wolffg. Lazii* de migratione Gent. lib. 8. pag. 460. Hinc secutum *Arminii* cum *Maroboduo* bellum, & directæ utrinque acies pari spe. *Arminius* cuncta collustrans, apud milites suos fugacem *Maroboduum* appellabat, præliorum expertem, *Hercyniæ* latebris defensum, mox per dona & legationes a *Romanis* petiisse fœdus: itaque proditorem Patriæ, satellitem Cæsaris, haud minus infensis animis exturbandum, quam *Varum Quintilium.* *Maroboduus* nec ipse jactantia sui, nec probris in hostem abstinebat. Se inter alia dicens duodecim legionibus petitum Duce *Tiberio,* illibatam *Germanorum* gloriam servavisse, mox conditionibus æquis discessum fuisse. Ventum deinde ad prælium est inter *Arminium* & *Ma-*

Bubienum Marobodum dicitur, quæ *Praga* est.

Suevi Romanis fœderati.

Germania in libertatem asserta, pulsis *Romanis* ab *Arminio.*

Qui *Germanorum* gloria, & Vindex libertatis.

Marobodus proditor dictus.

Bellum *Arminii* cum *Maroboduo.*

& *Marobodum*, nec alias majore mole concursum: neque ambiguo magis eventu, fusis utrinque dextris cornibus. Subduxit autem primus castra in collem *Maroboduus*, quod signum perculsi fuit, & transfugis paulatim nudatus, in *Marcomannos* concessit: misitque Legatos ad *Tiberium*, oraturos auxilia: quibus responsum: non jure adversus *Cheruscos* (quorum Princeps erat *Arminius*) arma *Romanorum* invocare *Marobodum*, qui pugnantes in eundem hostem *Romanos* nulla ope juvisset. Missus tamen *Drusus* est, *Tiberii* filius, *Romanorum* Dux, pacis conciliator & firmator, anno, ut quidam putant, *Christi* nati 18. Imperii *Tiberii* 3. vid. *Georgii Spalatini* Historia *Arminii*: quem etiam Generosissimi Fratres *Hermannus Adolfus*, & *Dietericus Ernestus* a *Donop*, Equites *Westphali*, Anno hujus Seculi LXXI. Oratione in hac Academia publice ceu Vindicem Patriæ suæ, & *Germaniæ*, juxta *Carolum* M. celebrarunt. Erat isto tempore nobilis juvenis inter *Gothones Catualda*, profugus olim vi *Marobodui*, & tunc dubiis rebus ultionem ausus, illiciente *Druso Cæsare Germanos* ad discordias, utque fracto jam *Maroboduo* usque in exitium insisteretur. *Catualda* igitur valida manu fines *Marcomannorum* ingreditur, corruptisq; primoribus ad societatem irrumpit, Regiam Castellumque juxta situm, & veteres *Suevorum* prædas ibi reperit. vid. *Tacitus* lib. 2. Hist. Hic *Gothinorum* primo fuit Princeps, ubi hodie est *Kutenberg Bohemiæ*, mineris famigeratissimus locus; deinde sublatus a *Suevorum* populo, qui *Albim* atque *Bojohemum* tenebat, *Marobodum* Regno exuit, ac *Suevis* universis imperavit. *Lazius* l. c. lib. 8. p. 478. *Beat. Rhenanus* Rerum *German*. pag. 45. *Maroboduo* sic undique deserto, non aliud subsidium, quam in Cæsare fuit. Scribenti respondet hic: tutam ei in *Italia* honoratamque sedem fore, si maneret: si rebus suis aliud conduceret, abiturum, fide qua venisset. Sic *Maroboduus Ravennæ* habitus, si quando insolescerent *Suevi*, quibus *Marobodui* nomen multo *Romanorum* nomine terribilius, quasi rediturus in agrum ostentabatur. Sed non excessit *Italia* per duodeviginti annos, consenuitque multum imminuta claritate, ob nimiam vivendi cupidinem, inter exempla fragilis & inconstantis fortunæ recensendus. Vid. plura de Regno *Marobodui* apud *Cluver*. in *Germ. Antiq*. l. cit. & de ipso *Maroboduo* apud *Suetonium* in

Catualda contra *Marobodum*.

Maroboduus in *Italiam* se conferens.

Tiberio, & *Aurelium Victorem*. *Lehmann*. in Chron. *Spir*. l. 1. cap. 13. *Wassenbergium* in *Maroboduo* Redivivo.

XXXVI.

Iubilius.

Sed & *Catualda* haud multo post *Hermundurorum* opibus & *Jubilio* Duce (quem Regem creatum dicit *Lazius* l. c. lib. 8. p. 479.) pulsus est, receptusq; ab Imperatore *Tiberio* in Tutelam, *Forum Julium Narbonensis Galliæ* Coloniam missus est, ubi exul mortuus, eundem cum *Maroboduo* casum expertus. Comites utriusque, ne quietas Provincias immixti turbarent, *Danubium* ultra, inter flumina *Marum* & *Cusum* (*Ungariæ* & *Austriæ* confinio) locabantur: dato post *Jubilium* a *Tiberio* Imperatore *Suevis* Rege *VANNIO* Gentis *Quadorum*, olim inter *Suevos* numeratorum. Unde *Vannianum* Regnum *Suevorum* a *Maro Daciæ* fluvio incipere tradit *Plinius* Hist. Nat. 4. 12. vid. *Tacit*. XII. Annal. Denique autem *Arminius* ipse abscedentibus *Romanis*, & pulso *Maroboduo*, Regnum, ut *Tacitus* ait, affectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis cum varia fortuna decertaret, dolo propinquorum cecidit. Elogium illius vid. apud *Tacitum* lib. 2. Hinc autem conjici etiam potest, quare inter præceptas olim *Germanico* nomini Provincias *Bohemiæ* Regnum, *Suevis* ademptum, nominet *Lazius* in Præfat. operis de Migrat. Gentium. Circa illa tempora imperante *Romæ Claudio Tiberio Nerone* Cæsare, *Teucteri*, olim *Rheni* oram ex adverso *Ubiorum* colentes, ejecti fuerunt a *Suevis* in *Menapios*, id est, *Geldrienses*, *Clivenses*, *Juliacenses*, quo etiam concesserunt, a *Suevis* expulsi ab *Oceano* cum *Teucteris*, *Usipetes*. *Julius Cæsar* lib. 4. de Bello *Gallico*. In loca autem deinceps *Teucterorum*, & partim *Cattorum*, usque ad *Mœni* ripam, & *Salam* fluvium, successerunt *Franci*. vid. *Beat. Rhenan*. Rerum *Germ*. lib. 1. pag. 49. Ista etiam ætate *Lucius*; aliis *Cyrenæus*, aliis cognatus & commilito *Pauli* Apostoli, in *Vindelicia*, *Rhætia*, locisque *Danubio* conterminis, *Christianæ* religionis semina prædicando jecisse fertur. *Nauclerus* autem vol. 2. Gen. 6. & *Gulerus* in *Rhætia* l. 3. p. 33. b. hoc adscribit *Lucio* R. *Britanniæ* sub Impp. *M. Aurel*. & *L. Vero* A. C. 177. alii sub Imp. *Commodo* A. C. 183. vid. *L. Osiandri* Epit. Hist. Eccles. Cent. 2. l. 4. c. 1. *Velser*. l. 6. Rer. *August. Vind*. p. 303. 304. & in Comment. ad Convers. *S. Afræ* p. 453.

Vannius Rex *Quadorum*: qui inter *Suevos* numerati.

Teucteri.

Franci.

Evangelium de Regno Christi, a quo primum *Germanis* prædicatum sit.

453. *Baronius* in Annal. Eccleſ. Ann. C. 183. & in hunc Examen *Joh. Henr. Ottii* ad Ann. 33. §. 36. ad Ann. 35. §. 3. ad Ann. 44. §. 36. ad Ann. 124. ad Ann. 183. ad Ann. 201. §. 5. Sub Imperatore *Claudio* vero perhibentur a S. Apoſtolo *Petro* emiſſi Doctores Evangelii *Argentoratum*, *Coloniam*, *Treviros*, *Maternus Eucherius*, & *Valerius*. vid. *Cruſius* l. c. pag. 83. 85. *Münſterus* l. c. pag. 322. *Stumpffius* l. 2. c. 12. & lib. 10. c. 15. *Lazius* pag. 7. & 483. *L. Oſiand.* l. c. Cent. 1. l. 2. c. 45. *Stumpff.* l. c. l. 3. c. 39. *Lehmann.* Chron. *Spir.* l. 1. c. 4. *Ottius* l. cit. ad Ann. 33. §. 35. ad Ann. 59. §. 10. ad Ann. 44. §. 39. Ann. 46. §. 4. 6. Ann. 74. §. 2. *Guillemann.* de Epiſc. *Argent.* c. 6. Dign. Dn. *Bebelius* in Antiq Eccleſ. *Argent.* Artic. 2. *Brower.* in Annal. *Aug. Trevir. part. 3.* Et tunc etiam *Lindavgia*, ſive *Lindoia*, *Lindavium*, in Peninſula lacus *Podamici* recentia initia habuiſſe conjicitur (vid. *Cruſ.* l. c. c. 5. p. 64. 65. *Knipſch.* de Civ. Imp. 3. 31.) fortaſſe quando *Druſi* frater *Tiberius* ex eo loco, prius præſidiis munito, contra *Vindelicos* Bellum geſſit. Poſt *Tiberium* Imperatorem *C. Cæſar Caligula* bello contra *Germanos* ſuſcepto ingreſſus eſt *Sueviam*; ſed nihil ſtrenue fecit, teſte *Eutropio* Breviar. lib. 6. vid. de bello illius *Germanico*, & Expeditione *Suevica*, ſed & ambitione, *Suetonius* in hujus vita. Imperante deinceps *Tib. Claudio Cæſare*, *Vannius Quadus Suevis* a *Cæſare Tiberio* impoſitus, uti ante dictum, pulſus eſt Regno, (quod ex *Plinii* ſententia fuit inter *Marum*, *Danubium*, & juga *Bohemica* vid. *Cluver.* l. c.) prima Imperii ætate clarus, acceptusque popularibus, mox diuturnitatem Regiminis in ſuperbiam mutans, & odio accolarum, ſimul domeſticis diſcordiis, circumventus. Depulerunt autem *Vannium* Regno *Jubilius*, *Hermundurorum* Rex, & Sorore illius geniti, *Vangio*, ac *Sido*. Nec *Claudius* Imperator, quanquam ſæpe oratus, arma, inter ſe certantibus *Germanis*, interpoſuit, ſibi nimirum prodeſſe exiſtimans horum diſſenſionem. Tutum tamen perfugium *Vannio* Cæſar *Claudius* permiſit, ſi pelleretur, ſcripſitque *P. Attilio Hiſtro*, qui *Pannoniæ* præſidebat, ut legionem, ipſaque ex Provincia lecta auxilia pro ripa componeret, ſubſidio victis, & terrori adverſus victores, ne fortuna elati *Romanorum* quoque pacem turbarent. Nam vis innumera, *Ligii* (gens antiqua *Suevica* inter *Viadrum* fluvium & *Bohemiæ*

Lindavia quando fundata.

C. Cæſaris Caligulæ Germanica & *Suevica* Expeditio.

Vannius Quadus Præfectus *Suevis*. Regno pulſus a *Jubilio* Rege *Hermundurorum*, ut & *Vangione*, ac *Sidone*.

montes, de qua ſupra dictum) aliæque Gentes adventabant: fama ditis Regni, quod *Vannius* 30 per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Pugna itaque ſuperatus, vulneribus adverſo corpore exceptis, *Vannius* ad Claſſem in *Danubio* opperientem perfugit. Secuti mox clientes, & acceptis agris in *Pannonia* locati ſunt: Regnum *Vangione* & *Sidone* inter ſe partitis, (uti alter citra *Marum*, alter ultra regnaret) exemploque *Vannii* auctoritate *Romana* regnantibus, eademque contra ſubjectorum odium tutis: unde etiam egregia adverſus *Romanos* fuerunt fide, ſuo ne, an ſervitii ingenio? multa charitate, dum adipiſcerentur dominationes, & majore odio, poſtquam adepti ſunt. Ita *Vannius* triginta duos annos, uſque ad *Claudii* Cæſaris Imperium, placide & molliter primum *Suevis* & *Marcomannis* ad *Albim* imperans, a propriis avunculis dominatu exactus, a *Claudio* Cæſare in *Daciam* translatus, interque *Mariſium* & *Cariſium* fluvios, ubi hodie *Tranſylvania Hungariæ* ſita, collocatus eſt, & conſenuit. *Tacitus* l. 12. Annal. c. 29. *Plinius* lib. 3. cap. 12. adde *Cluverium* in *Germ. Antiq.* l. 3. c. 31. *B. Rhenan.* lib. 1. *Germ.* Rer.

XXXVII.

Cattorum bellum ſub Imp. Cl. Domit Nerone.

Tempore *Cl. Domitii Neronis Hermundurorum* & *Cattorum* bellum inteſtinum ob ſalis fontes, quos *Birckheimerus* putat hodie apud *Halenſes* in *Miſnia* cerni, geſtum eſt: utraque autem illa gens *Suevica* fuit, unde Bellum illud *Suevicum* vocat *Cruſius* l. cit. lib. 3. part. 1. cap. 8. ubi etiam de *Anſibariorum*, Gente a *Suevis* orta, geſtis iſta ætate ſub clariſſimo Duce *Bojocalo*, quædam tradit. De quo vid. plura apud *Tacit.* lib. 13. Annalium, & *Cluver.* in *Germ. Antiq.* lib. 1. cap. 39. pag. 323. Cum deinde contra *A. Vitellium*, qui in Exercitu ſuo robora *Germanorum* habuit, *Fl. Veſpaſianus* a militibus Imperator creatus eſſet, conduxit hic ipſe contra iſtum *Germaniæ* Gentes, *Sueviæque* Reges *SIDONEM* & *ITALICUM* circa Annum *Chriſti* 80. cum delectis popularibus in commilitium ſibi adſcivit. Gubernabant *Suevos* hi duo Reges, (a quorum altero *Eitelii* vox frequens fuit in nominibus propriis Nobilitatis *Suevorum*) uſque ad *Veſpaſiani* Imperium, ſub *Nerone*, *Galba*, & *Vitellio*, per ſumma in populum Romanum

Sidon & Italicus Reges Sueviæ; quorum auxilio Veſpaſianus factus Imperator Romanus.

manum obsequia, ut *Tacitus* lib. 19. Annalium refert, a *Romanis* cogniti. vid. idem lib. 3. Hist. *Stumpffius* in Chronic. *Helvet*. lib. 1. pag. 26. *Germanos* autem semper apud *Romanos* in prima acie constitutos, docet *Bebelius* in Encomio de veteribus *Germanis* cap. 13. exemplo *Sidonis* illius & *Italici*, Regum *Suevorum*, qui teste *Tacito* loco citato, cum delectis popularium primi in acie versabantur, dum contra *Vitellianos* Duces pugnabant: adeo ut non parum adjumenti ad *Vitellii* dejectionem, victoria præsertim *Cremonensi* reportata, Imperiique consecutionem, *Suevica* gens Ductoribus *Sidone* illo & *Italico*, contulerit *Vespasiano*, qui incertum diu & quasi vagum Imperium *Romanum* suscepit ac firmavit. Ab hoc parente cum Filius *Titus Vespasianus*, rebus *Judaicis* præfectus, copias ex omnibus *Romani* Imperii Provinciis adversus *Hierosolymam* colligeret, milites ex *Aventicensi* quoque Pago (Wifflißburger-Göw) eundem quoque sumpsisse *Stumpffius* scribit lib. 4. cap. 21. ex Chronic. *Helvetiæ* veteribus: Illique expeditioni ex *Suevis* etiam agmen interfuisse dubium non est *Crusio* l. c. lib. 4. part. 1. cap. 4. ubi refert, Illustres Comites *Tubingenses* superiori adhuc Seculo literas habuisse dictum esse, in cortice arboris scriptas, quibus majores ipsorum a *Tito* jussi sint in eandem expeditionem ire, horumque unum nominari *Rabodum* vel *Rabotum*. Sed postquam *Crusius* de his literis quæsivisset, cum aliquot istorum Comitum *Tubingensium* studiorum gratia in Academia *Tubingensi* essent (*Hermannus* nimirum, *Alvicus*, & *Conradus*, quorum hic Rector fuit Magnificentissimus in hac patria Academia Anno superioris Seculi LXXXIV.) responsum se accepisse inquit, non amplius illas superesse, injuria Præfecti literarum rudis cum aliis scriptis amissas. Sed quicquid sit de ista traditione sane fabula sub illa latet, imo mox conspicitur: ut merito dubitetur, an ejusmodi literæ in cortice scriptæ unquam in familia Comitum *Tubingensium* extiterint. Ut enim antiquitati hujus Gentis nil derogemus, in illa tamen deducenda non debemus ad fabulas descendere. Sane *Sueviam* tempore *Vespasiani* Cæsaris Imperio *Romano* subjectam fuisse, ut bellum huic & expeditio in hostes *Romanorum* mandari potuerit, certum non est. Longe etiam alius Status *Germaniæ*, tum quoad dignitates, & ordines civium, tum

Tubingenses **Comites.**

tum quoad alias partes Reipublicæ, tunc fuit, quam secutis Regum, & Imperatorum *Francicorum*, & *Saxonicorum* temporibus. Certe Comites quales hodie sunt, & quales ipsi etiam *Tubingenses* fuerunt, *Germania Titi Vespasiani* tempore nec dum habuit. Nec *Romani* Imperatores talem dignitatem *Germanis* concedebant, nec etiã poterant, quippe sibi non usq; quaq; subjectis. Alios habet *Germania* Nobilitatis, & dignitatum suarum fontes: qui satis illustres, satis antiqui sunt, si a *Germanis* Regibus & Imperatoribus *Francis*, *Saxonibus*, & *Suevis*, etiam in Comitum ordine, repetantur. Præficiebant quidem etiam *Romani* Provinciis in *Germania* a se subjectis *Comites*, juri dicundo in judiciis: sed hi ex peritia primo juris & legum, etiam privati, & ignobiles genere sumebantur, & erant Magistratus, nullum Imperii Jus Summum, nec Superioritatem, quam hodie vocant, Territorialem habentes, adeoque longe diversi ab illis, quos *Germania* deinceps habuit, Comitibus, sub alio jam Imperii statu. De *Tubingensi* Palatinatu supra aliquid dictum est. vid. plura de hoc apud *Münsterum* lib. 3. Cosmographiæ. pag. 613. addantur *Freheri* Origines *Palatinæ* c. 11.

XXXVIII.

Fl. Domitiani Imp. clades a *Germanis* & *Suevis* accepta.

Imperante postea *Fl. Domitiano* Cæsare *Trans-Rhenani* & *Trans Danubiani Germani* (inter quos & *Suevos* fuisse *Crusius* dicit l. c. cap. 5.) fœdere, quod antea cum *Romanis* habuerant, neglecto, *Rhenum* & *Danubium* transierant, *Galliamque* & *Rhætiam*, *Vindeliciam*, *Noricum*, *Pannoniam*, *Mœsiam*, *Romanorum* Provincias, igne ferroque devastarunt, Ducibus, quos *Domitianus* opposuerat, *Agrippa Pompejo*, *Oppio Sabino*, *Cornelio Fusco*, cum Legionibus suis cæsis. Tot erant exercitus in *Mysia*, *Daciaque* & *Germania*, *Pannoniaque* amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati, & capti, ut jam non de limite & ripa Imperii *Romani*, sed de hybernis legionum, & possessione Provinciarum, dubitaretur: damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus & cladibus insigniretur, nec jam de libertate sua *Germani*, sed de servitute *Romanorum* certarent. Empta tamen de ipsis Pax est, annuis tributis constitutis, ut se trans *Rhenum Danubiumque* continerent: quemadmodum ex *Plinio Aventinus* in

Anna-

Annalibus *Boicis* confirmat. vid. *Tacitus* in vita *Julii Agricolæ*. Et tamen *Domitianus* falsum Triumphum e *Germania* ridicule egit, seque *Germanicum* in Nummis, & aliis Monumentis ac Inscriptionibus publicis appellavit. vid. *Henrici Bebelii Justingensis Suevi*, Viri sua ætate doctissimi, & in hac Academia Professoris Clarissimi, Encomion de veteribus *Germanis* cap. 9. *Philipp. Bertius* Comm. *Rer. Germ.* lib. 1. c. 7. Præterea *Dio Cassius* lib. 67. Hist. mentionem facit *Marsyi*, Regis *Marcomannorum*, qui *Domitianum* Imp. adierit: qui tamen cum pro Legato missus fuerit extra civitatem, nomine magis quam re Rex fuit, & Princeps magis habendus: qualis etiam fuit *Vallomarius*, licet ejusdem Gentis Rex dictus, ad *Mallium Bassum* Præfectum *Pannoniæ*, teste *Petro Patricio* in Historia, ut observavit *Phil. Cluverius* in German. *Antiq* l. 1. c. 38. p. 318.

XXXIX.

Pax Germania & Suevia sub Adriano Imperatore.

Sub Imperatore *Æl. Adriano* Pax in *Germania* & *Suevia* fuit: ita ut compositæ pace *Germaniæ* Regnum restituisse feratur hic Imperator. *Naucler.* vol. 2. pag. 433. *Sueviæ* autem Gentem sub hoc Cæsare mitiorem factam scribit *Æneas Sylvius* de *German.* cap. 1. in qua prius nulla literarum cognitio, nulla legum disciplina, & nulla bonarum artium studia: ipsa quoque religio barbara, inepta, ferina, & brutalis. Hoc tamen falsum, quod *Sylvius* l. c. tradit, sub *Adriano* totam *Germanicam* nationem in potestate *Romanorum*, & longe angustiorem brevioremque, quam modo sit, fuisse: Sub Imperatore autem proximo *Antonino Pio* inter *Germaniæ* & *Sueviæ* hodiernæ civitates *Brigantium*, *Acronii* lacus oppidum, a *Romanis* habitatum jam stetit, teste *Stumpffio* in Chronic. *Helvet.* lib. 5. cap 9. a cujus nomine lacus *Brigantinus*, **der Bregentzer See.** Sicut inferior Lacus a castro *Bodmena* (licet alii alias quoque dent derivationes) lacus *Bodamicus*, aut *Potamicus* appellatur, **der Boden-See.** Toti lacui nomen est *Acronius* lacus, de quo vid. *Crus.* l. c. cap. 7. & lib. 11. cap. 2.

Brigantium. Lacus Acronius.

XL.

Catti contra Romanos.

Cum autem Imperium Romanum duo Augusti simul tenerent, *M. Aurelius Antoninus* Philosophus, & *L. Æl. Aurel. Verus Antoninus* Anno *Christi* CLXVI. *Catti* & *Chauci* in *Romano-*

rum *Germaniam*, ac *Rhætiam*, *Vindeliciam*, & *Noricum* irruperunt: quibus *Didius Julianus Aur. Victorinus*, & *Helvius Pertinax* (postea Imperator) ab Imperatoribus istis oppositi fuerunt: qui rem non sine clade suorum gesserunt. Antea tamen cæsos *Cattos* multos in *Rhætiam Nordlingensem*, & in Tractum *Würtembergicum Romani* expulerant, paucis in sua terra remanentibus, quibus deinde *Saxones* quidam adjuncti: & hos postea *Hassos* nominatos *Crusius* l. c. lib. 4. cap. 8. pag. 81. ex *Aventini* lib. 2. & *Spangenbergerus* cap. 41. scribit. *Lazius* vero de Migratione Gent. lib. 8. pag. 461. & 62. paulo recentiorem facit *Hassorum* originem, & ad tempora *Justini* Cæsaris refert: verisimile putans, *Hassos* ab usque *Balthico* mari, ubi nunc *Prussia* sita, progressos, loca a *Suevis* vacua derelicta insedisse, vel saltem *Suevorum* reliquis haud procul *Rheno* & in *Westphalia* post bellum illorum cum *Saxonibus* commiscuisse sese: confirmantibus utriusque gentis migrationes trajecto *Mœno* oppidis, ab eo eventu temporeque constitutis, *Suinfurto*, quod *Suevorum* trajectum, & *Haßfurto*, quod *Hassorum* trajectum significat. Jungatur his *Phil. Cluverius* in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 5. p. 21. *Knipschild.* de Civitat. Imp. lib. 3. cap. 49.

in Tractum *Würtembergicum* pulsi.

Hassorum origo.

Suevofurtum. *Haßfurtum.*

XLI.

Sub iisdem, qui dicti modo, Imperatoribus, bellum contra *Romanos* gesserunt, *Marcomanni*, Natio *Suevica Bohemiæ*, ad *Danubium* usque, qui tunc *Pannoniam*, *Mœsiam*, *Illyricum* vastabant, & Ducem *Romanum*, *Marcum Vindicem* occidebant: de quorum virtute bellica innumera extant exempla, & quorum præcipua gloria inter *Germanos* omnes, ut qui antiquissimis temporibus *Helvetios Gallos* ex iis finibus ejecerunt, quos hi *Mœnum*, *Rhenum*, *Danubiumque* amnes, & *Hercynios* montes inter, occupaverant; postea vero trajecto *Rheno*, cum in *Galliam* a *Sequanis* contra *Heduos* vocarentur, omnem fere *Galliam Celticam* Imperio suo subjecerunt: mox *Bojos* etiam a *Bojohæmo* pepulerunt, multisque dehinc ac gravissimis cladibus *Noricum* ac *Rhætiam*, *Romanorum* Provincias, jam inde a *Marci Antonini* Principatu adfecerunt: quibus socii semper fuerunt contra *Romanos*, *Quadi*, & his finitimi, *Jazyges*, *Sarmatæ*. Hinc tantus Belli *Marcomanni*-

Marcomannorum Bellum adversus *Romanos*.

ci

ci timor fuit apud *Romanos*, ſcribente *Capitolino*, ut undique Sacerdotes *Antoninus* acciverit, peregrinos ritus introduxerit, *Romam* omni genere luſtraverit, ac lectiſternia *Romano* ritu per ſeptem dies celebraverit. Profecti ſunt in hoc bellum ambo *Augusti*, qui cum *Aquilejam* uſque veniſſent, plerique hoſtium Reges cum populis ſuis ſe retraxerunt. *Quadi* autem, amiſſo Rege ſuo, non prius quam *Romanis* Imperatoribus placuiſſet, ſe confirmaturos eum, qui creatus erat, dicebant. Contra *Germanos* poſtea rurſus exurgentes *Marcomannos*, *Nariſcos*, *Hermunduros*, *Quados*, *Suevos*, *Sarmatas*, & alios, res feliciter geſſit *Marcus* Imp. maxime bello *Marcomannico*: quo *Pannonias* liberavit ſervitio, *Marcomannis* partim in *Danubii* tranſitu extinctis, partim in deditionem acceptis, plurimis in *Italiam* traductis. In iſto bello *Marcomannico*, quod ita divina providentia adminiſtratum fuit, hoc memoria dignum extitit, quod, cum *Romani* a *Quadis* incluſi eſſent locis opportunis, *Melitena* Legio, quæ *Chriſtum* colebat, tunc præſens, genua flectens ad terram uſque, veroque DEO ſupplicans, pluviam ad reficiendum *Romanum* exercitum, & fulmina ad deterrendum hoſtes cœlitus impetravit, & ſic *Romanis* glorioſiſſimam victoriam, & omnibus pœne antiquorum titulis præferendam, parvo militum numero, ſed potentiſſimo *Chriſti* auxilio reportarunt. Quod etiam beneficium *Chriſtianorum* militum intelligens *Marcus* Imp. gratum ſe præbuit: nam & Κεραυνοβόλον eam Legionem appellavit, & mortem illis minatus eſt, qui *Chriſtianos* accuſare conarentur. Hanc Hiſtoriam *Lucianus* in Dialogo *Alexandri* nomine inſcripto, ſed aliter, ut homo gentilis, & *Chriſtianorum* acerrimus hoſtis deſcripſit: hinc veriora de illa, & plura vid. apud allegatos ſupra, *Jul. Capitolinum*, *Euſebium* in Hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 5. *Tertullianum* in Apologet. contra Gentes: *Eutropium*, *Oroſium*, nec non *Lazium* de Migrat. Gent. lib. 9. pag. 638. *Nauclerum* vol. 2. pag. 487. & *Cruſ.* loc. cit. In iſta autem memorabili pugna a *Marco* Cæſare victum commemorat *Hunnibaldus*, Annalium *Germaniæ* antiquiſſimus Scriptor VARABERTUM, vel juxta alios, HEREBERTUM, qui *Trajani* ac *Antonini* temporibus rerum legitur in *Marcomannis* & *Suevis* eſſe potitus: qui autem ante hunc, & poſt *Italum*, præfuerint *Suevis*, non-

Varabertus.

dum invenire se potuisse, inquit *Lazius* de Migr. Gent. lib. 8. pag. 479. vid. Idem l. c. pag. 645.

XLII.

Cæterum Imperatores *Antoninos, Pium, Verum,* & *Caracallam* Legione VIII, quæ *Augusta, Pia,* & *Fidelis* dicebatur, item Legione XXII, quam *Primigeniam, Piam* & *Fidelem* quoque vocabant, *Neccari* fluminis ripas pluribus in locis obsedisse, observavit *Joannes Heroldus* de Stationibus Legionum in vetere *Germania,* in quo libro allegat ipse Inscriptionem in oppido *Canstat,* certum testimonium Stativorum visam, & *Grutero* quoque in Inscript. *Rom.* p. 4. ex *Apiano* citatam:

Canstadium oppidum, & superstitiosa derivatio Vocabuli ipsius.

IN. H. D. D. JOVI ET JUNONI REG. ET GENIO LOCI ET. D. D. OMNIBUS. P. S. F. DIDIUS JULIANUS MIL. LEG. VIII. ANTONINIANÆ. B. F. COS. PRO SAL. SUA. ET SUOR. STAT. ITERATO POSUIT IMP. DIVI ANTONINI AUG. PII. ET. VERI.

Ergo ibi Stativa fuisse infert *Heroldus,* & inde nomen oppido esse inditum. Siquidem ex LEG. ANT. STAT. abjectis literis L. & E. ac G. in C. mutato CANSTAT. Sed ex his superstitiose quosdam haurire originem vocabuli *Canstat,* monet *M. Simon Studion* in opere manuscripto non minoris eruditionis quam industriæ & laboris ad *Fridericum* Ducem *Würtembergiæ* : De vera origine Serenissimæ & antiquissimæ Domus *Würtembergicæ,* una cum venerandæ Antiquitatis *Romanis* in agro *Würtembergico* conquisitis & explicatis monumentis : ubi Author inter alia notat, omnium pessime, ut cætera quoque, hanc Inscriptionem legere *Heroldum:* melius & rectius *P. Apianum* in libr. vetust. Inscription. pro. P. S. T. DIDIUS. legere, P. S. EDULIUS & ad LEG. VIII. addere AUG. verum omnium optime *Glandorpio* in Onomastico *Romano* literas istius Epigrammatis legi P. SEDULIUS JULIANUS MILES VIII. AUGUST. ANTONINIANÆ. Sed & male *Heroldus* in fine hujus Inscriptionis legit PII. & VERI cum sit legendum, PAT. ET. V. R. Patriæ & Urbi

& Urbi *Romæ:* adeoque hæc Inſcriptio non eſt Impp. *Antoninorum, Pii* & *Veri*, qui etiam alia ratione male junguntur, ac ſi ſimul *Auguſti* fuiſſent : ſed eſt Imp. *Antonini Caracallæ*, cujus doctiſſima explicatio eſt apud *Studionem* l.c. qui ex his, & aliis Gentilium Antiquitatibus, probat etiam, ditionem & Terram *Würtembergiæ* Principum ſemper habitatam & populoſam fuiſſe, dum ſcribit: Credula & ſiniſtra vulgi, & eorum, qui ſibi nonnihil eſſe videbantur, opinio ſibi hactenus perſuaſit, hujus Ditionis *Würtembergicæ* loca antiquitus fuiſſe deſerta, inculta, minimeque vitifera, & nil niſi ferarum & ſtrygum ſpelea ac receptacula. Sed eorum judicium ſiniſtrum refellunt Antiquitatis Monumenta non pauca, quorum magna pars in Horti Elyſii illa nova & auguſta *Stutgardiæ* Baſilica Aulica & Principali, nimirum in quatuor ejus Turribus angularibus, etiamnum conſtituta conſpicitur, quæ maximam partem a *Simone Studione* ex locis, *Marpacho, Benningen, Boyngen, Steinbeim*, conquiſita, & ex parte empta, tandem Anno 1583. per *LUDOVICI Würtembergiæ* Ducis mandatum in dictum hortum transferri juſſa: reliqua autem in ejusdem Territorii agris, vallibus, vinetis inventa, eodem ſunt translata. Volebant ſcilicet *Romani*, addit his *Cruſius* l.c. Legionibus X. hinc inde diſpoſitis *Germanos* coercere, munitionibus ad *Rhenum, Danubium, Nicrum* factis, ad annos circiter 450. ſed nequicquam.

XLIII.

Circa tempora autem *L. Septimii Severi* Imp. *Romani*, Seculo poſt *Chriſtum* natum Secundo vergente ad finem, *Suevi* qui ad *Albim* incoluerant, migrarunt in tractum *Germaniæ* Auſtralem, trans *Mœnum* ad *Danubium, Nicrum*, & *Rhenum*, imminentes ab una parte *Tribochis* & *Rauracis* (illis *Argentinam*, his ſupra *Baſileam* habitantibus) ab altera *Rhætis*, & *Vindelicis*. vid. *Stumpff*. in Chron. *Helvet*. lib. 22. cap. 2. Et tunc etiam *Würtembergia* a *Suevis* frequentata fuit : atque iſto tempore creditur *Alemannorum* nomen ortum fuiſſe, ut non modo *Suevorum*, ſed omnis etiam generis *Germanorum* concurſus *Romanam* potentiam indignantium. vid. l. cit. cap. 11. pag. 88. Pertinent huc verba *Beati Rhenani*, qui judicio in omni antiquitate inveſtiganda ſingulari fuit, lib. 1. Rerum German. *Alemanni inter Mœnum*

Alemannorum origo & nomen: itemque ſedes.

 amnem,

amnem, Danubium, Rhenum, ac fontem Danubii, sive limitem, qui Rhætiam ac Germaniam dividit, novas sedes fixerunt. Non quod hanc latam Germaniæ partem ante tenuerint Germani, ac partim Suevi: Sed quod tunc pauciores incolas haberet is tractus, & commodior esset, illinc, ad Rhætiam primam, (ubi Algoia & alia) hinc ad maximam Sequanorum, (ubi loca Basileæ & Colmariæ) & primam Germaniam incursandam, opulentissimas Provincias; quod unum spectabant Alemanni. Quo nomine nihil ambigendum est, prioribus cultoribus gratum fuisse, consanguineorum suorum adventum. Conveniunt his verba *Münsteri* lib. 3. Cosmogr. cap. 8. dum scribit: *Hoc certum est, Suevos ante duo millia annorum semper celeberrimum Germaniæ fuisse populum: quorum meminerunt omnes gentiles Scriptores, imo Suevi olim fuerunt veri & genuini Alemanni.* Post tempora autem dicti paulo ante Imp. *L. Septimii Severi*, & post Seculum a *Christo* nato Secundum, res *Suevorum* immixtæ sunt rebus *Alemannorum:* & cœpit tunc novum veluti Regnum *Alemannicum*, in quo tamen non tam desiisse vetus *Suevorum* Regnum, quam restauratum novis auspiciis & viribus, & continuatum ultra dici potest.

Suevorum celebritas.

Regnum *Alemannicũ.*

XLIV.

Natura & mores antiquorũ *Suevorum.*

De moribus jam & ritibus antiquorum *Suevorum* egregia sunt, quæ *Julius Cæsar* in quarto libro Commentariorum scribit. Ubi equidem unius nationis *Suevorum* mores describere profitetur: at si ea cum illis, quæ postea Comment. lib. VI. de universa *Germanorum* Gente memorat, conferantur, eosdem plane esse facile quemvis deprehendere ait *Cluverius* in *German. Ant.* lib. 1. cap. 13. ubi quidem male *Cattos* a *Suevis* distinguit, sub quorum gente illos comprehendi supra ostensum est. Addatur de his moribus *Tacitus*, & qui in libellum illius de *Germania* commentati sunt, *Althamerus, Willichius, Berneggerus*, & alii. vid. de his quoq; *Crusius* in *Annal. Suevic.* lib. 1. part. 1. c. 4. *Münsterus* in Cosmographia lib. 3. p. 580. 581. ubi *Suevorum* mores cum priscis confert. Adde alteram *Suevorum* delineationem apud *Lazium* de Migrat. Gent. lib. 8. vid. idem lib. 9. ubi etiam de Institutis illorum, Religione, ac bellum gerendi disciplina, de Conciliis ac conventibus, deque Principum

cipum ordine, conditione atque cultu, gradibus denique dignitatum, nec non Insignibus, & lingua plura refert. Addatur his quoque *Philippus Cluverius* lib. 1. *Germ. Antiq.* cap. 42. & seqq. & *Naucler.* vol. 2. Chronog. Generat. 43. pag. 842. 847. ubi vetustissimæ veræque *Suevorum* laudes habentur.

XLV.

Sermo eundem.

Porro qui olim fuerit *Suevorum* Sermo, neminem facile pronunciaturum, inquit *Altham.* ad *Tacit.* pag. 32. Nihil enim uspiam in literis de *Suevico* Idiomate a veteribus relatum esse: nam suum Idiotismum habuisse *Tacitus* ostendit, dum inquit: *Marsingos & Burios Suevico sermone, habituque usos. Gothorum* autem, *Hunnorum*, *Sclavorum* irruptiones, & crebræ per *Germaniam* excursiones, passim corrupisse dicuntur *Germanismum*: et quanquam sit aliqua ratio loquendi communis omnibus ferme *Germanis*, tamen sunt singulis suæ dialecti, & pronunciandi proprietates. Vitiatam parum linguam hanc facile credendum, quod in prolatione nominum propriorum observari potest, quæ vitiosissimè vulgus *Germanorum* pronuntiat. Non tamen omnino mutatam ob Gentis *Germanicæ* virtutem, & fortitudinem, quæ haud leviter recipiebat aliorum mores, aut Tyrannidem, petita aliquoties externorum armis, sed nunquam tota victa. *Suevicam* igitur linguam eandem & *Germanicam* dixeris: majorem enim illi *Germaniæ* partem possederunt, & in communi *Suevi* nuncupati sunt: uti supra dictum. vid. iterum *Crusius* in Annal. *Suev.* part. 3. lib. 2. cap. 7. pag. 73. *Lazius* l. c. lib. 8. pag. 452. Excellentiss. Dn. *Hofmannus* in Lexico Univers. Historico-Geograph. Chronolog. Poet. Philologico. v. *Teutoni*.

CO-

COROLLARIA.

I. Ad Th. I. *Prudenter Carolus Magnus Francorum Rex erga Witekindum Magnum Saxonum Regem in reddita cum libertate Angria Belli & Victoriæ jure non usus est: fatale tamen nihilominus Carolingorum & Merovingorum nomen Saxonibus, imo & Suevis fuit: quemadmodum hi Romanis.*

II. Ad Th. XXI. *Summam potestatem habere potest, qui tributum pendit.*

III. Ad Th. XXII. *Suevia prior urbibus culta fuit Saxonia.*

IV. Ad Th. XXIII. *Asylorum Jura ad infortunatos, non ad nocentes pertinent.*

V. Ad Th. XXIX. *Recte Cæsar Helvetiis transitum per Provinciam noluit concedere.*

VI. Ad Th. XXXVI. *Nec Curiensis in Suevia, nec alius Germaniæ Episcopatus Originem suam ad Apostolorum, vel Discipulorum horundem tempora referre potest.*

VII. Ad Th. XXXVII. *Collatio Dignitatum est signum Imperij, & inter Majestatis jura sub potestate legislatoria continetur.*

VIII. *Superioritas Territorialis non est ipsa Majestas, sed potestas huic analoga: media inter Summum Imperium, & Magistratum: isto inferior, hoc major.*

IX. Ad Th. XXXVIII. *Non cadit in unam eandemque personam character Regis & Legati.*

X. Ad Th. XLI. *Non male audiunt in Historia Christiani, qui sub aliena a Sacris suis militia stipendia meruerunt; modo non contra Christianos.*

Ad

I.

Ad Generosum Dominum

PHILIPPUM HENRICUM
A GÖLNIZ, &c.

SCeptriferas Gentes Suevorum ex ſanguine cretas
FORSTNERUS pulchris auſibus exhibuit.
Hunc ſequeris paribus ſtudiis GÖLNIZIE, Matris
O Spes Magna, Tuæ flos generoſe Domus.
Tramite ſi curres porrò hoc, tunc maximus in TE
Ipſe tuus Genitor ſic redivivus erit.

Studiis Laudatiſſimis applaudit
Michaël Müller, D. Prof. P.
h. t. Univerſitatis Rector.

II.

SI patrii Studii teneas veſtigia recta:
De patrio tandem Munere certus eris.

Affectus conteſtandi cauſa
adjecit
Johann Adam Oſiander, D.
Cancell.

III.

ESt decus, eſſe Patrum, claro de ſtemmate natum,
Et celebre inter Avum nomen habere genus.
Sed ſua ſi virtus decoret, quem ſtemmatis ampli
Illuſtrat lumen, gloria major erit.
Horum de numero es, GÖLNIZ, quem nomen Avorum
Artis & Aoniæ nobilitavit honos.
Hactenus ingenuas artes, & ſenſa Minervæ
Abdita ſcrutari, cura tibi una fuit.

Perge ita, GÖLNIZI, geminæ virtutis honore
Amplius ornabis Teque tuumque genus.

Generosissimo Dn. Respondenti
gratulabundus apponit

Burckhardus Bardili, D.P.P.

IV.

U*No ter Cathedram conscendens sedulus Anno,*
Nunc Oratoris munere, nunc alio,
GÖLNIZI: *cujus Majores Marchia* Brenni
Effert, & priscæ Nobilitatis honos:
Cujus Avos gemina suscepit Suevia *laude:*
Et Ducibus monstrat Teccia *Quinque suis:*
Cujus vix alius Generoso doctior olim
Patre fuit, quisquis sanguine clarus ovat:
Non Tibi Virtutis, non desunt magna Tuorum
Doctrina exempla, & tot monumenta Domus.
His Tu Progenies posthac dignissima Gentis
Insiste, & Generi reddere perge Decus:
Seu studiis meruisse juvat: sive Itala *tellus*
Te vocat, aut hospes Gallia *Te recipit.*
Nec Te pœniteat Tubias *coluisse Camœnas,*
Artibus atque animum fingere Palladiis:
Hac eadem ut scirent, quid non fecere priores
Et Pater, & Patruus? nomina chara Tibi.
Hac de Te, cujus superes spes unica, Mater
Poscit: CLOSENIUS *talia Sanguis amat.*
Imperiis gravidi sic Te comitante Suevi
Ibunt per Populos, per sua Regna procul,

Qua

Qua mare, qua terra, qua sidus currit utrumque:
Sic reducem in Patriam candida Fama vehat!

Ita
Nobilissimo Domino *Respondenti*
Fautori honoratissimo,
gratulatur,
Generosissimæ Familiæ GÖLNIZIAE
dicatissimus
Dissertationis hujus
Præses.

V.

MAgnates natos ex Nobilitate Suevâ
Dum memoras, magnum Te fore colligimus.

Generosissimo Domino Gölnizio
Viri Illustris Filio ac hæredi unico
Disputationem publicam de Nobilitate Suevicâ
defendenti gratulari debuit, voluit
Georg. Henr. Häberlin/
SS. Theol. D. & P. P.

VI.

A*Mplificans virtute genus, sua lumina* Lunæ
Dum linquis, propriâ Sol *quasi luce micas.*
Christophorus Caldenbach.

VII.

FAites icy Magazin de vertus,
Non un monceau de richesse mondaine,
Mort & Fortune emportent les Escus;
Contre vertu elles perdent leurspeine.

Guillaume Frideric, Baron de
Bernerdin à Sindlingen.

VIII.

VIII.

WOhin flammt Euer Geist? Wo steigen hin die Gaben?
Ihr preist mit hohem Sinn die tieffe Quell der Schwaben.
Ihr zeigt die Cimbern-Quell/
Ihr weist die hohe Zinnen/
Und bringt der Reich Canál
Aus Euren Edlen Sinnen.
So steht Herr Gölnitz auff/ O Edler Schwaben Ritter
Und recht der Schwaben Blut/ durch alles Wort-Gewitter.

Christian Ludwig von der Wensen.

IX.

MAjores imitaris, id est, Virtutibus æquas
Quos stupet hæc ætas; tuque stupendus eris.

His paucis
Illustri Prosapiæ, summis Majorum meritis,
& fælicibus Juvenilium Studiorum progressibus Nobilissimi Domini Respondentis, ex animo applaudit
Illi, omnibusque suis

addictissimus

Hugi.

FINIS.





